



28

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**SECRETIONE LACTIS
MVLIEBRIS, ET PRAECIPVIS AB
EA IMPEDITA PENDENTIBVS
MORBIS,**

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINI NVMINIS
AVCTORATE ET CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAE SIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIONI PRVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO,
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDIC. SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSORVM PRAESIDE,
REGIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ÁNGLICAN. MONSPELIENS.
ET BEROLINENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQUENDIS

D. X. OCTOBR. A. R. S. C^o C^o CLXIV.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES GOTTLIEB FRITZE
MAGDEBURGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
EX OFFICINA TRAMPIANA.

DISESSATIUS INVACARATIS MEDICAY

SERGERTIONE LACTIS
MULTERRIS ET PRACTICARIS AB
EA IMPEDITA PENDUNTIBVS
MORTIS.

274
SAY VAPICIA DILATAT NAMINE

AUTOPATAT ET CONSULVA

GRATIOSI MEDICORVM CEDINIS
PRAE SIDE

THE THERAPEUTICUM ET MATERIA MEDICA

D ANDREA ETIA BACHNERO

SACRA ROMANTURRI MENTI
DILECTIONIS ET FRATRIS CONFRATRII INTEGRI
CONVENTUS ET CONFERENTIA THERAPEUTICAE
CENSUROVIT ALEXANDER BACHNERO
ET C. H. BACHNERO
PROSPERITATEM ET EXISTENCEM
BACHNERI ET CONVENTUS THERAPEUTICAE
CONFERENTIAE

PRO GRADA DOCTORIS
SACRUM A MEDICINA MORIBUS MORTALIBUS
DOCTORIUS MOE MORTALIS CONVENTUS
EXCELSA ET EXCELLITA
THERAPEUTICAE

ADULTA

JOANNES GOTTLIEB TRIER

ALLEGORIAS
ALLEGORIAS
ALLEGORIAS

V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

ANDREAE ELIAE BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
FACULT. MEDIC. SENIORI, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,

IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CYRIOSORVM PRAESIDI;

REGIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. MONSPELIENE.

ET BEROLINENS. SODALI,

D O M I N O

PRAECEPTORI, PRAESIDI, PROMOTORI,
PATRONO ET MAECENATI SVO

OMNI EAQUE SVMMA ANIMI SANCTITATE ET OBSERVANTIA
IMMORTALI AD CINERES AETERNV M DEVENERANDO;

VT ET
VIRO
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET CONSULTISSIMO
DOMINO
IOACHIMO GEORGIO DARIES

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIORIBVS,
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI, VT ET
PHILOSOPHIAE ET VTRIVSQVE IVRIS PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO IN CELEBERRIMA ET REGIA, QVAE
FRANCOFVRTI FLORET, ACADEMIA,
SENATVS ACADEMIAE ELECTORAL. MOGVNTIN. SCIENTIARVM
VTILIVM ASSESSORI,

NEC NON
DOMINO HAEREDITARIO IN CAMSDORFF
ET WENIGEN IENA,

PATRONO ET MAECENATI SVO
MAXIMA ANIMI RELIGIONE IMMORTALITER ET AETERNVM
COLENDO ET OBSERVANDO,

SOLEMNE ET LARVICAM HOC SCENAM MEDICAM
VIRIS
TESTIMONIO CERTISSIME SAEPE ET IMPORTANTIA
MEMORIE ET PRAEDECATIONIS
ERVDITIONE AC DOCTRINAE PRAESTANTIA,
EXIMIS INGENII DOTIBVS, EXCELLENTIA
PRAECULRISSIMIS ET IMMENSIS
AMORIBVS ET BENIVITATIBVS
IN SE COLLEGIIS BENEFICIIS
ADMIRANDAE HUMANITATIS ET COMITATIS
CVM MAXIME PRO ET ARDUISSIMO VOTO
OMNIGENAE SEMPER ORNANTISSIMA
PROSPERITATIS TUM ANNI TUM VIRTUTIBVS
MVNERVM AMPLITUDINE ATQUE IMMORTALIVM
MERITORVM MVLITUDINE
SPECTATISSIMIS,
INTER PRAECIPVA HVIVS SECVLI ORNAMENTA
ORBISOVE ERVDITI LVMINA
NVMERANDIS,

SOLEMNE ET PVBLICVM HOC SPECIMEN MEDICVM,
QVIDQVID LITTERARVM EST,
TESTIMONIO GRATISSIMAE SVAE ET IMMORTALIS
MEMORIAE ET PRAEDICATIONIS

PRO

TOT, TANTIS, TAMQVE AMPLISSIMIS ET
PRAECLARISSIMIS EX IMMERITA ET SINGVLARI
AMORIS ET BENEVOLENTIAE ABVNDANTIA,
IN SE COLLATIS BENEFICIIS
CVM MAXIME PIO ET ARDENTISSIMO VOTO
OMNIGENAE, SEMPITERNAE ET FLORENTISSIMAE
PROSPERITATIS, TVM ANIMI, TVM VALETVDINIS
CORPORIS AD SVMMAM ET CANAM

SENECTVTEM,

SACRVM ESSE IVBET,
SEQVE AC SVA OMNIA EORVM FIDEI, PERPETVO AMORI,
BENEVOLENTIAE PERENNI, CONSILII, POTESTATI
PATROCINIO ET CLIENTELAE
COMMENDATVM ESSE CVPIT ET TRADITVM

AVCTOR.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SECRETIONE LACTIS
MVLIEBRIS ET PRAECIPVIS
AB EA IMPEDITA PENDENTIBVS
MORBIS.



§. I.

Liquidi cuiuscunque animalis e sanguinis
massa secretionem plane et perspicue
expedituro, id officii potissimum dari
existimo, vt Lectoribus primum secer-
nendi laticis indolem et naturam, quoad eius fieri ne-
cessa fuerit, curatius declaratam tradat; deinde, qui-
bus organis idem indidem, et quo pacto seu ratione,

A 2

a san-

a sanguinis connubio exsolutus fecernatur; si mentis suaे sensa omnibus satis liquida esse cupiat. Quocirca mearum quoque esse sentio partium, vt, hoc loco de *Lactis secretione* verba facturus, prius, quoad id instituti nostri ratio desiderauerit, quid *Lactis* nomine velim intellectum, et cuius id sit ingenii; deinde quibus corporis humani incerniculis idem e sanguinis complexu nexuque expediatur, ostendam, quam ad ipsos morbos, qui ex eius secretione, vel impedita, vel omnino intercepta, subinde mortalibus enascuntur, ingrediar explicandos, quippe quibus cognitis et perspectis, haud arduum quoque erit intellectu, qua via persaepe plura, nec sane levia, mulieribus exinde euenerere queant mala, medentibus curatu saepe difficillima, ipsis vero aegrotantibus acerbissima et perpeſſu vix tolerabilia.

§. II.

Quod proinde igitur ad liquorem illum candidum attinet et dulcem, in animantium mammis et vberibus a sanguine separatum, nec facile cuique incognitum, qui visitatissimo *Lactis* nomine insigniri solet, de eius natalibus iam diu multumque inter Medicorum filios disceptatum est, et in vtramque partem disputatum. Quibusdam enim medentum fuisse legimus persuasum,

suasum, lac nihil aliud, nisi sanguinem esse, qui lactis formam induat, inque mammarum glandulis in huiusmodi liquidum mutetur^{a)}). At vero, quim' hac in opinione nihil sit argumenti, non est, quod ei conuelenda hic immoremur. Alii duplarem lactis materiam ex HIPPOCRATE defendunt, sanguinem nempe et chylum, quorum ille vberiorem, hic vero longe minorem magisque exiguum lacti generando materiam fuggerere mammis fertur^{b)}). Multo autem plures recentiorum ea sunt in sententia, lacteum hunc laticem, in mulierum mammis a sanguine segregatum, a chylo nihil omnino dissidere, sed ipsum verum esse chylum, qui per venas omnis generis lacteas adductus, sanguinique in vena subclavia affusus, atque ita cruento comitus, per arterias mammarias glandulis mammarum inferatur, vbi harum glandularum ope, ex massae sanguineae vinculis expeditus, lactis et ingenium proferret et nomen obtineret. Chylum itaque eadem denuo forma, qua ex prima animali culina in sanguinem, cumque hoc ad mammae fuisset aduectus, separari.

A 3

§. III.

a) Franc. de le Boe SYLVIVS, Prax. medic. Libr. III. Cap. X.

no. 4. 5. et segg.

b) Prosper MARTIANVS et Petr. CASTELLVS, testis Thoma

BARTHOLINO, Anat. reformat. Lib. II. Cap. I.

§. III.

Tametsi vero haec sententia, ad verum sollicitius exacta, longe minus, quam superiores hypotheses, a veritate ablusisse videtur; haud tamen quemquam temere ei censeo subscripturum, fore nempe, ut talis chylus, qualis in primis viis elaboratus fuit, etiam ad mammas deferatur. Chylus quippe in ventriculo hanc candidi sive lactei, sed cinerei coloris deprehenditur, qui color ei quoque constat in intestinis¹⁾, neque sapore dulcis, sed amaricans ibidem, a bilis permixtione, obser-vatur. Si praeterea expenditur, chyloso huic latici in intestinis perinde, atque in venis lacteis, toto itinere, lympham continenter affatim intermisceri, vnde semper liquidior evadit ac dilutior: liquido ex hisce paucis in medium adductis apparebit, huiusmodi chylo plures tales dotes ab orbico sanguinis motu esse comparandas, quales lacti propriae sunt, quam hoc nomine appellari queat. Nullus autem chylus ad mammas deferri potest, nisi ante e venis lacteis in venam subclaviam euolutus, cumque sanguine in cor dextrum, inde vero per pulmones in sinistrum agitatus fuerit, siveque demum per

WALAEVS Epist. I. de Motu chyl. et sanguin. ad Thom. BAR-
THOLINVM, quae Anatomi. huius reformat. in calce adiecta
p. 764. BOERHAAVIUS Praelection. academ. in Institut.
§. DCXIC.

per mammarias arterias in vberum intima quaeque derivatus.

§. IV.

Dum ergo hic succus cum sanguine per corporis vase in motum agitatur profluum, tum demum ei multifariae eteniant mutationes omnino necesse est. Moleculae enim, quibus abundat, oleofae, quae cum aquaeis particulis coniunctae omnium potissimum lac animale constituant, sub hoc sanguinis circuitu nexu arctiori iunguntur et copulantur, vnde chylo tum denique color albus seu lacteus induitur. Deinde quum liquor chylosus iam in suis vasis lacteis, toto isto, quod ab intestinorum canali ad vsque subclauiam conficit, itinere, multa ipsi admixta et interfusa lympha locupletatus fuerit, insuperque, si in massam sanguineam se intulerit, denuo copiosae lymphae fiat obuius: nihil sane dubii est, quin et chylus sanguini interluens, cumque eo per sanguineos canales in orbem volutus, inter circumagendum vtique multas ex ipso cruento gelatinosas ac pingues particulas suam in mixtionem sit adscituras. Quo nomine nec mirum est, haud paucos doctrinae ac scientiae medicae principes, nostra memoria huius etiam esse sententiae, prae se ferentes ac profientes, lac haud quaquam ex solis elementis oleosis atque

que aqueis esse concinnatum, ut plerorumque fert opinio, sed praeter ea pluribus quoque lymphaticis partibus ac pinguibus constare ⁴⁾.

§. V.

Sed fortasse quispiam sciscitaretur caussam, cur lac, igni admotum, non aequa, ac lympha calori extensioni exposita, in massam solidam coeat atque indurescat? id quod tamen ei vsu venturum esse videtur, si partes lymphaticae lacti intermistae forent. Verum is habeto, lymphaticas partes nequaquam tam vberi copia aquosis et oleosis in lacte moleculis esse internatas, quam quis forte sibi fuerit imaginatus; sed copia dumtaxat tanta, quanta lacti producendo et constituendo conuenit atque expedit. Quocirca quum humor lacteus, maximam partem ex aqueis oleofisque, minimam vero ex gelatinosis lymphaticisve conflatis deprehendatur: minime mirum cuiquam videri debet, eum non perinde, ac lympham, calore adhibito, spissitudinem contrahere, nisi

⁴⁾ HALLERVS Not. in BOERHAAVII Praelect. Tom. V. Part. II. §. DCLXXXIX. Illustris PRAESES in Fundament. Physiol. Sect. II. Cap. XV. §. IV. STENZELIVS Dissert. de Lactis succique nutrit. praeparat. etc. §. IX. BEHRIVS Physiol. medic. Cap. XIX. §. II et VII. GUTERMANN Dissert. de Mammis et Lacte.

nisi forte eidem, calefacto aut ebullienti, acida, vel etiam alcalina admiscueris, vbi tum vtique concreceret. Quod insuper etiam de liquido quodam tenuissimo nonnulli opinantur, vtpote quod per nerorum riuulos chylo confusum, itidem multum ad lactis prouentum conferre scribitur, illud hoc loco excutere nihil attinet neque vacat, omnium praecipue, quum non habeamus, vnde id liqueat, nec dum inter Aesculapii filios de eo conueniat.

§. VI.

Si igitur lac recens multum, siue bubulum, siue caprinum, siue asinimum, siue alijs cuiusuis animalis, herbaceis duntaxat vescentis, vase quodam, a cunctis sordibus bene depurgato exceptum, quieti commiseris, sibi ac suae naturae id relinquendo; tuismet oculis, elapsis aliquot horis, velut duodecim vel viginti (prout tempestas feruidior fuerit vel remissior), cernere tibi licebit, quemadmodum illud sua sponte in tres distinctas secedat partes, vnam, superiora tenentem, cui *cremoris* nomen haeret; alteram, eamque crassissimam inque grumulos velut concretam, quae in vasis fundo subsideret, et *caseosa* eius substantia est; tertiam, vtrisque prioribus interiectam, quae perspicua deprehenditur et subcoerulea, parum ab vstitata et communia aqua abludens, seri *lactis* nomine cieri solita. Ex hoc

B

lactis

lactis cremore, qui, multo maxima ex parte elemen-
tis sulphureo-oleosis constat, butyrum conficiunt ma-
tresfamilias. An vero in hoc pingui lactis, eius cre-
morem exhibente, tam numerosi globuli sint obuii,
quam LEEWENHOEKIO visi esse feruntur, illud in
medio sum relicturus.

§. VII.

Serum, cuius abundantia lac veluti affluit, quod-
que in lacte coagulato et sponte secedente medium
haerere perhibui, inter cremorem supernatantem et
erassamentum caseosum, inferiora vasis occupans, ex
meris aquae concinnatum videtur particulis, quibus
inter circumneundum per corporis vasa sanguifera mul-
tae gelatinosae et nutritiae sese aggregasse, et socias
admixtiae videntur, moleculae, quod ex eo haud ob-
scure patet, dum, obseruante BOERHAAVIO, homi-
nes robustos nutrit, id quod praestare minime pos-
set, nullis nutrientibus partibus dotatum. Apparet
exinde quoque, unde lactis color usque adeo candidus
sit, et sapor dulcis. Experimentorum enim fide com-
pertum est, oleum quocunque vegetabile recens, ve-
lut oliuarum, amygdalarum, cetera, aquae confusum,
dummodo utraque haec sic coniuncta inter se validius
agitentur, concutiendo, terendo, breui post illam agi-
tatio-

e) Libr. citat §. DCLXXXIX.

tationem, alborem et gratam dulcedinem contrahere, et lac arte paratum exhibere. Huius rei quoque sunt testimonio ita dictae emulsiones artificiales, ex vegetabilium seminibus aut nucleis concinnatae, ut quae cum aqua simplici commixta ac trita, albore et dulcedine lac animalium naturale imitantur.

§. VIII.

Caseosa tandem lactis pars, quae, quum lac coiuerit, propter grauitatem oleosis et aqueis longe maiorem, inferiora vitri seu vasis petit, est crassamentum quoddam, liquido omni inde expulso atque exhalato, in caseum abiens, ac sensim pedetentimque usque eo indurescens, ut in lapidem veluti aliquando solidatum videatur. Concrementum hoc lacteum inuestigatans et aetatem ferens, rancescit, putescit, et acrimoniam induit, quin etiam in alcalinam naturam degenerat^{f)}). Ex eius idcirco proprietatibus satis liquebit, non tantum complures in eo terrestres moleculas, sed praeterea quoque haud paucas interlatere oleosas seu pingues, quae huiusmodi sunt, ut temporis diuturnitate rancescant accerrimaeque euadant.¹⁰ Ex nunc igitur prolatis haud obscure elucebit, lac multis quidem dotibus ad similitudinem emulsorum vegetabilium accedere, minime vero propterea quoque iisdem simil-

B. 2. ¹⁰ limumf) BOERHAAVE *Chemiae Part. II. Proces. XCIX.*

limum esse ac maxime genuinum. Quamuis quippe emulsiones similiter ex oleo quorumdam seminum vegetabilium expresso, cum sufficienti aqua terendo vel valide agitando, subacto et consociato, parentur, sicuti animantium lac, utpote itidem ex partibus oleosif et aqueis copiosissimis, inter se coalitis, compositum; praeter tamen eas liquido huic animali lacteo, cum sanguine per corporis vasa circumvoluto, quantacunque partium gelatinosarum, ex sero sanguinis nutritio et lympha, accessio fuit facta, quarum eiusmodi emulsiones plane sunt expertes. Quae quum ita sint, clare perspicimus, animantium lac nihil aliud esse, nisi ipsum chylum, in suo per vasa omnis generis lactea itinere, plurima lympha locupletatum, et, in sanguinis massam delatum, sanguinique intermixtum, motu huius orbico de pristina sua indole, cuius in intestinorum erat compluuius et lacteis vasis, nunc apprime immutatum, quod in yberibus feminarum a sanguinis consortio segregatur.

§. IX.

Non sum nescius, fuisse etiam mares, tum iuuenili, tum prouecta aetate, imo pueros atque adeo infantes, quorum ex mammis humor lactis subinde sponte emanauit, vel certa adhibita leni compressione fuit expressus; sed quum nostro proposito alienum sit,

eius-

eiusmodi exempla, quorum magnam vim atque copiam recensere possem, persequi, ea consulto hic praetermittam. Neque lubet hoc loco tradere, quomodo lac animalium, solis herbis et vegetabilibus vescientium, dissideat ab eorum lacte, quae nihil nisi carnes deuorant, aut quibus, tum carnes animalium, tum olera, vel alii, quos terra effert, fructus esui sunt, et qui vtraque coniuncta sibi apponenda curant. Plurimum enim omnino discriminis lacti, quod beneficio viscerum *χυλοπομητος* inferuentium, ex vegetabilibus elicatum est, intercedit cum eo, quod e meris carnibus concoctione animali extricitum. Haec, inquam, multaque alia, quae de lacte dici possent, alias digna, quae illustriore explanatione Lectoris oculis subiicerentur, dedita opera mittam: etenim mihi non est animus, de lactis ingenio et proprietatibus qualibuscumque Dissertatione hac commentandi; sed duntaxat de eius secretione, quoad quidem praefentis argumenti ratio exegerit, ea dicendis praestruendi, quae morbis mammarum, ex laesa lactei hujus liquoris separatione identidem extortis, clarius intelligendis plus lucis affundunt.

§. X.

Perspectis itaque lactis ingenio et dotibus, quantum conuenierit, non alienum erit, vel *mammalarum strucrarum*, lacti secernendo et infanti alendo fabrica-

tam, breuiter perlustrare; namque, ea non intellecta, nemini animo comprehendere integrum erit, quo patet lactis secretio in vberibus perfici queat. Noli autem putare, me, cuncta, vel minima quaeque in mammarum fabrica exponenda esse, consequaturum; verum ea tantum, quae secretioni huic dilucidius expedienda necessaria fuerint; ne a proposito declinemus, sermonem nostrum deflectendo ad ea, quorum haud tantus est fructus in hoc lactis secernendi negotio. Nihil igitur est, quod pluribus morem in mammarum situ, numero, mole et magnitudine, alisque id genus exponendis; sed praestat statim ad ea enodanda ingredi, quae nobis maiori sunt usui.

§. XI.

Mammas feminis ordinatas esse atque exstructas proliis lactandae et alendae gratia, nemini non tam notum est, quam quod notissimum; unde quoque virginibus pubescentibus, si aetate usque eo accreuerint, ut viro iam maturaerint, aequis virinque vberibus distenduntur, inque maius augescunt, quo etiam nomine PLAVTVS, mammas fororiare in hac aetatis flexu, lepide dixit. Quid vero caussae sit, cur natura etiam maribus mammas, vberibus mulierum quidem longe minores, sed fabrica haud absimiles, finxerit, quibus tamen cura et munus lactandi ac nutriendi foetus in lucem

lucem editi, haud iniunctum est; illud etiamnum in ambiguo est et incerto. Quamquam complura exstant exempla eorum virorum, quibus lac e mammis vberius, quam pro opinione, manasse narratur, ita, ut infantem nutricari potuissent. At vero, quum haec vix vlli nobis sunt usui ad nostrum scopum, ea omittam, contemplatus, quam breuissime potero, ipsam mammarum structuram.

§. XII.

Dissentient inter se et discordant Anatomes periti de earum *strukturâ*, quam plerique *glandulosam* declarant, aliis contra solis eam vasis concinnatam esse tridentibus. Quo posteriori ex numero omnium imprimis est RUVY SCHIVS, mammas neutiquam glandulis coagmentatas esse, sed meris vasis, affuerans: ideoque etiam vasculosam hanc earum compagem numquam in peculiares glandulas esse subdivisam, sed ubique locorum coniunctam. Quodsi vero mamma esset morbososa eiusque vasa obstructa, tum illam veluti in glandulas partitas apparere. Pinguedinem quoque mammarum, inquit, si incidatur mammae corpus, glandularum speciem prae se ferre: quia in cellulis rotundis recondita haereret. Tametsi vero mammarum glandulas in dubium vocat, riui lactei cursum ex arteriarum extremis *apertos* deducendo in ductus lacteos:

feros: profitetur tamen ipse et prae se fert, nec arteriolarum, nec venularum, cum tubulis galactophoris mutuas inosculationes sibi esse umquam vias, cuius rei caussam confert in substantiae, quae mammis est, tenacitatem ^{g).} CASSEBOHMIUS quoque RY SCHII sententiae legitur haud obscure congruisse, pariter prodens, eiusmodi glandulas in mammis sese suis oculis numquam tulisse obuias, quantumuis a se quanta maxima sedulitate peruestigatas. Idcirco quoque admonet bene, canendum has glandulas perscrutaturo, ne pinguitudinis globulos, in adiposae membrae cellulis conclusos, pro glandulis habeat ^{h).} Confer. Dissert. Illustris atque Excellentissimi PRAE SIDIS, Praeceptoris ac Patroni, aeternum mihi sancte deuenerandi, de *Abscessibus et Ulceribus mammarum.* Nec illis abusisse videtur BOERHAAVIUS, similiter docens, arterias mammarias, tum exteriores, tum interiores, mammis commissas, inque miras contorsionum spiras nodulosque abeuntes, tandem lactiferos ductus recta emittere. Id quod etiam in *Praelec. suis academ.* planius ac dilucidius expedit, perhibens: finem arteriae rubrae, absque interposita glandula, fieri ductum lactiferum ^{i).}

§. XIII.

g) Epistol. anatom. problem. XV.

h) Method. secand. Lib. i. Cap. XXV. §. 2.

i) Institut. Medic. §. 688. et *Praelec. Tom. V. Part. II. in eamdem §.*

§. XIII.

Ex priori autem numero, qui vbera ex glandulis constructa esse contendunt, multo plures Anatomicorum deprehenduntur, quorum tamen non est idem et omnium communis consensus in hisce glandulis designandis. Perquam enim multi, imo plerique, vim glandularum minutularum innumerabilem mammis afferunt, quarum tamen magnitudo haud eadem, sed admodum diuersa esset; velut *Thom. BARTHOLINVS*^{k)}, *DIEMERBROECK*^{l)}, *VERHEYEN*^{m)}, *NVCKIVS*ⁿ⁾, *Dan. TAVVRY*^{o)}, *WINSLOVIUS*^{p)}, et *Fr. HOFFMANN*^{q)}; aliis contra texturae mammarum glandulas quidem non denegantibus, verum omnino attribuentibus, et duntaxat easdem ad longe minorem numerum redigentibus, vt *MORGAGNO*, *HEISTERO*, *HALLERO*, aliisque placuit, dissertissime planificeque tradentibus, quidquid glandularum (cui vere

et

k) *Anat. reformat. Lib. II. Cap. II.*l) *Anatom. C. H. p. 240.*m) *Anatom. C. H. Tract. III. Cap. I. T. XVIII. Fig. 2.*n) *Adenograph. Fig. I. et II.*o) *Nou. Anatomi. Part. I. Cap. XIII.*p) *Exposit. anatomiq. Tom. IV. de la Poitrine §. 10.*q) *Medicin. ration. systemat. Physiolog. Sect. II. Cap. XV.*

C

et re ipsa glandulae appellatio conuenit,) in mammis sub aspectum et tactum caderet nostrum, interioribus mammae solerti manu Anatomici reclusis ac disseptis, illud omne in unicum magnum corpus esse coagmentatum et compactum, quod globosum, densum seu compactum, album et inaequali esset superficie, in centro uberum sub papilla situm, cuius in pernetralibus, (principie si eius textura in feminis partum enixis aut lactantibus investigatur,) cellulae forent obviae et conspicuae¹⁾). Hinc quoque glandula haec Illustri de HALLER sola lac generare et unica videtur.

§. XIV.

Glandulam hanc ex innumeris acinis, in unam molem congregatis, conflatam esse, nihil dubii est. Illustris enim atque Excellentissimus BOEHMERVS, Praeceptor ac Patronus omnium pietate aetatem mihi suspiciendus, hos acinos in muliebri mamma tam perspicue omnium oculis spectandos proposuit, ut Tiresia coecior foret in dubium eos vocaturus²⁾). An igitur corpus hoc globosum iure meritoque in glandula-

rum

¹⁾ MORGAGNUS *Advers. anatom. Advers. IV. Animadvers. III.*

HEISTERVS *Compend. anatom. T. I. §. 250. HALLERVS*

Libr. clstat. not. e. in §. DCLXXXVIII.

²⁾ *Epiſtol. de duct. mammar. laetiſer.*

rum conglomeratarum numero referri queat, ut aliquibus visum est, id affirmare haud sustineo, desiderata eā horum acinorum inter se cohaerentiā et facie exteriore, quam aliae ita dictae glandulae conglomeratae, velut parotides, maxillares, sublinguales, pancreas, thymus, cetera, oculis nostris conspicientiam obiiciunt et arbitrandam. Quoniam itaque haec mammarum textura, multorum eorumque solertissimorum Anatomicorum controversiis et disputationibus iam inde ab antiquis temporibus diu multumque fuit in vtramque partem exagitata, nec dūm, nostra memoria, vel doctissimis ingenii satis liquida et perspecta; huic disceptationi non sumus diutius, quam par aequumque est, immoraturi, enodatissime expediendo, vtrum mammarum sit vnicā duntaxat glandula, eaque conglomerata; an vero innumerae longe minutiores eaque congregatae? Mihimet enim satis est, paucis ostendisse, meus qui sit de vberum fabrica sensus, quatenus ex glandulis construēta sunt.

§. XV.

Praeter vero has glandulas, quas in mammis abditas dixi delitescere, magna quoque pinguetudinis copia, praesertim in feminis obesis et amplioris corpo-

ris, aut vterum ferentibus, vel partu leuatis et latantibus, obvia est, cui arteriae, venae, vasa lymphatica et nerui affabre, quin etiam ipsae glandulae et ductus galactophori satis frequentes interseruntur. Operae idcirco pretium censeo futurum, haec singula deinceps contemplari, quoad eius propositi nostri ratio permisit. Cuta vera cum epidermide de mammis ablata, magnam vim et molem pinguedinibus deprehendimus, quae autem minime unum insignem refert globum, sed ex pluribus spectatae magnitudinis globis, inter se per vasa, nerois et mutuos membranae cellulose nexus coniuncti obseruantur. Cunctae hae pinguedinibus sphaerae coercent et continent commemorata vasa suo complexu, quippe quae, in ea molliter collocata, ad suas quaeque glandulas feruntur. Globi vero hi pinguedinibus vniuersi duabus membranis, iisdem extrinsecus obvolutis, interiecti haerent medii, quae substantiae istius cellulose, pingues moleculas mammae in suis fusculis reconditas fountis, propagines sunt, quarum altera, quae ante verae mammarum cuti firmissime annexa est, longe tenerioris texturae esse spectatur, quam altera, quae eodem hospite pingues globos a tergo amplectitur, vtpote quae multo crassior et validior, illos subiecto musculo pectorali maiori laxis nexibus

bus illigat'). Quum vero commemorati globi praeter illud pingue, quod in suis cellulis conclusum habent, omni insuper quoque varietate vasorum, velut sanguineorum, lymphaticorum, laetiferorum ac nerveorum implicati sint intextique; haud male acturus mihi videor, si primum de *canalibus*, per quos sanguinei riui in mammae deducuntur atque ex iisdem reducuntur, ea dunfaxat in medium proferam, quae laetis secretioni facilius animo comprehendendae usui nobis esse possunt.

§. XVI.

Arteriae igitur, vitalia liquida mammis afferentes, *mammariae* nominatae, *externae* sunt atque *internae*. Quarum illae ex axillaribus, hae vero ex subclaviis emergentes, se frequenti ramorum sobole in mammorum interiora inferunt. *Internae* enim *mammariae*, e subclaviis vroboique discedentes, sub costis cartilagineis, prope a lateribus sterni, descendunt usque ad xiphoidem huius cartilaginem. Toto hoc tractu ex se multas expromunt propagines, glandulae thymi, mediastino et pericardio de sanguine prospicientes, ut et multas alias, quas in singula costarum interualla ex-

C 3 plicant,

t) *VESALIVS Anat. C. H. Lib. V. Cap. XVIII. Thom. BARTHOLINVS l. c.*, qui hanc membranam perperam declarat earnosam; *WINSLOVIVS Lib. et Tom. citat. §. XI. et XII.*

plicant, vbi mutuis anastomosibus cum arteriis intercostalibus, ex aortae trunco exporrectis, coalescunt^{a)}. Praeter hosce surculos complures alios proferunt ramos, qui mesopleurios musculos transeuntes, sese in musculum pectoralem maiorem efferunt, vnde in mammas ipsas pergendo, mutuos amplexus cum arteriis mammariis externis implicant, mutuisque anastomosibus cum iisdem se consociant. Ipse mammariae internae truncus, thoracis cauo exiturus, in binos conspicuos dirimitur ramos, quorum interior, a latere cartilaginis ensiformis e thorace emergens, in musculi abdominis recti faciem posticam pluribus propaginibus se diffundit, vbi in epigastrica abdominis regione, tam apertis, tam perspicuis anastomosibus cum totidem arteriae epigastricae vtrinque ramis coeunt, ut talpa coecior merito censendus esset, mutuam hanc harum vtrarumque arteriarum coniunctionem negaturus, a tot summis tamque in re anatomica exercitatis simis ingenii (quibus satis copiae fuit, cadauera humana in numero numero incidendi,) omnium oculis sensuum fide et testimonio abunde testatam, et ab omnium inani ac futili reclamatione vindicatam^{b)}.

Verum

a) RUVSCHIUS *Epist. problemat. secund. Tabul. II. Figur. 3.*
lit. b. b. b. cet.

b) SPIGELIUS *de Corp. hum. fabric. Lib I. Cap. 2. qui epigastricas*
cun

Verum enim vero, quim animatum induxerim, lactis secretionem heic persequi, quatenus praeципue dumtaxat morbis, ab ea, si vnde cunque iacturam fecerit, exortis, lucem accedit clariorem, nulla habita ratione istius lactis protientus, qui partu leuatis, et quomodo earum vberibus solemniter usu euenit; nihil idecirco quoque attinet in iis moram necesse, quae ad nos non pertinent, istorum fculneas et leuiculas rationes contuellendo atque infringendo, quibus horum vasorum anastomoses euertere connituntur.

§. XVII.

Extērna ergo mammaria arteria, alias etiam thoracica superior dicta, utrinque ex axillari profecta, serpentino ritu supra costas extrinsecus defertur, quo descensa, complures de se ramos spargit in vicinos sibi musculos, imprimis in pectoralem, sub quo de- currit,

cum mammariis internis minimum digitum crassas vidit; RIOLANVS vero, *Anthropogr. Lib. 3. Cap. 3.* vasa haec calamum scriptorium aequantia conspexit. MARCHETTVS eadem, Auctore Th. BARTHOLINO L. c. ad magnitudinem minimi digiti in lactantibus demortuis dilatata deprehendit. WINSLOVIVS libr. cit. *Trait. des arteres* §. 90. 232. 233. et *Trait. des veines* §. 60. vt et Tom. IV. §. 23. GARENGEOT *Splanchn.* Cap. V. Tab. IV. lit. C. et D. BOERHAAVE L. c. §. 687. et §. 688.

currit, maiorem. Ipse truncus dein, in numerosos diffissus surculos, per omnes partes se disseminat, et cum internae mammariae ramulis arteris copulatur nervis. Venae, quae utrisque mammariis, tum internis, tum externis assident comites, eiusdem pariter sunt numeri et cognominis, cuius consocias esse arterias nunc commemorauimus, quae quum arteriis, constanti naturae lege, numquam non comites haerent, et eas vel ad intima quaque vberum affectentur, nihil est, quod hisce venis perlustrandis tempus et operam conteramus, nisi ut quaedam solummodo de earum origine subnoscamus. Mammaria interna, proinde dextra, e caudice venae cavae superioris, haud procul ab eius angulo diuisionis exsurgens, se statim arteriae sociae adiungit: quae vero sinistram arteriae comes haeret, e laeva subclavia nascitur, quae itidem laevae mammariae se aggregans, hanc tota via comitatur. Et quod de mutua harum arteriarum cum epigastricis connexione supra exposui, idem quoque de his venis comitibus velim intellectum, utpote ratione in venas epigastricas dehiscentibus. Venae autem thoracicae superiores, WINSLOVIO externae mammariae vocatae, e venis axillaribus progerminant, et arteriis eiusdem nominis associatae, pariter, atque haec, via flexuosa ad musculum pectoralem maiorem

iorem fertur, vnde multos surculos in mammas distribuit.

§. XVIII.

Cognitis iis ductibus, qui sanguinem et, lactatus tempore, humorem lacteum, vel si magis arriserit, chylosum, cum sanguineo latice commixtum, mammarum glandulis aduoluunt; non alienum erit, breuiter quoque expendere illos tubulos, qui lac, a sanguinis consortio in mammarum glandulis sciunctum, recipiunt, et receptum atque in melius ac perfectius mutatum ultra prouoluunt, et ideo etiam *ductus galactophori*, vel *lactiferi* audiunt. Ductus igitur hi lactiferi, qui arteriarum extremis continui esse RYSCHO sunt visi; aliis vero e glandulis exorrecti, membranacei deprehenduntur esse canales, qui per exiguis ramusculis ex ipsis glandulis progerminant, pendentim in surculos magis conspicuos confluentes, qui ultimo in papilla mammae suis orificiis terminantur. Non autem ubique aequalis diametri esse animaduertuntur hi tubuli: namque, perquam exilibus radiculis exorti, procedentes in medio ampliantur, inque finis velut seu cellulas dilatantur, deinde autem, mammarum papillam proprius accedentes, denuo coarctantur, quid? quod per papillae cænornosam, vel, si mauis, spongiosam compaginem, exeuntes, usque eo

D coan-

coangustantur, ut vix fetae crassiori pateat in eos introitus. Galactophorus hosce canales prope papillam inter se frequentibus ramis transuersis, circulum quemdam imitantibus, connexos esse, Auctores propemodum omnes, communī veluti omnium consensu, produnt ^{x)}, aliis contra eiusmodi ramusculos, circuli in morem ambeantes, omnino negantibus ^{y)}.

§. XIX.

Mammārum vero glandulas, ex quibus lacteos tubulos tentissimis pullulare surculis, in conspectiores deinde canales confluentibus, perhibui, ex solis sanguineis ramis esse concinnatas, id inde minus obscure colligi efficique posse existimem, quod pluribus obseruationis in comperto est, haud insolenter nec raro in latetantibus lacti sanguinem succedere, quando nimium exfuguntur. Thomas BARTHOLINVS ex ANZOTIO obseruationem adducit de muliere, quae octies feliciter partum enixa, nil nisi mertum sanguinem suffecit,

^{x)} HEISTERVS Comp. et loc. cit. WINSLOVIVS *Traité de la poitrine* Tom. IV. §. 13. 19. Tb. BARTHOLINVS Libr. et loc. allegat.

^{y)} Celeberr. TREW *Comm̄. litterar. ann. 1734.* de HALLER *Comment. in Boerhaav. Praelect. not. f. ad §. DCLXXXVIII.* BOEHMERVS l. cit. p. XV.

set, quoties mammae infantis exsugendas praebuisset^{a)}). *Francisc. de le Boe SYLVIVS* quoque diserte scribit, saepe sibi obseruatum esse, nunc sponte, nunc ex continua molestaque lactatione, lactis loco purum sanguinem exsugi^{b)}). Nec foret quicquam negotii, complura eiusdem huius argumenti obseruata in medium proferre, si hac in re multus esse vellem. *BOERHAAVIVS* quoque refert, arteriis mammariorum liquore quadam repletis, illum in tubulos transire lacteos, et tubulis lactiferis inuicem liquore effarctis, eum in venas et arterias referri^{c)}). *Illustr. de HALLER* quoque ex *MANGETO* affert, aquam, arteriae mammariae infusam, indidem in lacteos canaliculos rediisse; id quod etiam prospero euentu *ALBINO* processisse, easdem materia quapiam implenti arterias. E contrario mercurium, ex *NYCKII* obseruatione, lactariis ductibus iniectum, ex iis per mammarias esse reuersum^{d)}). Ex quibus proinde liquido cuius cerni posse mihi persuadeo, fistulis mammarum lactiferis commer- cium cum mammariorum vasis intercedere arctissimum.

D 2 §. XX.

^{a)} Libr. et loc. citat.^{a)} Prax. medic. Libr. III. Cap. X. n. 5.^{b)} Praelect. academ. in Institution. Medicin. §. DCLXXXVIII.^{c)} Comment. citat. not. g.

§. XX.

Quum vero cunctorum canarium galactophororum oscula in papilla terminentur et pateant, opportunum erit, de ea quoque eiusque areola quaedam subiungere, quippe quae papillam circuli in modum ambit. Est vero *papilla cylindracea* illa eminentia, in centro areolae obvia, quae rubelli est coloris, et multis, maxime minutulis, foraminulis pertusa, quae orificiola totidem tubolorum lacteorum sunt, hac in papilla terminorum. Ipsa ciuius textura non multum ab ludit a penis fabrica; est enim cauernosa, seu spongiosa, propterea que erigi quoque potis, manibus blande contrectata, aut lactentis infantuli ore complexa. Fibrae duarum serierum, maiores et minores, reticulatae, a NVCKIO, atque ex eo a COWPERO descriptae, spongiosa papillae spatiola intercipientes, quas nerueas HEISTERVS appellat; itemque fasciculi ligamentosi, a WINSLOVIO commemorati, qui non nihil in rugas seu plicas contracti esse eidem visi sunt, atque ex quibus papilla concinnata et fabricata fertur, Illustri de HALLER nondum satis perspecta sunt ^{a)}). Constat proinde papilla e textu quodam spongioso, tubolorum lactiferorum extremis, modo dictae cellulose texturae interiectis, compluribus sanguineis vasculis et copiosis

a) Libr. citat. not. i. ad §. DCLXXXVIII.

copiosis neruulis, quae cuncta quam tenerrima cute atque epidermide inuoluta sunt et coniecta. Externa eius superficies aliquantum aspera est, ac numerosis iisque perexiguis tuberculis obsita, inque minutissimas contracta plicas. Tubercula ista nihil aliud, praeter quam papillas nerveas esse, quibus mammae papilla largissime donata est, RY SCHIVS tam testatum fecit, quam quod testatissimum ^o). Areola, quae ambitus ille ex fusco rubellus nominatur, papillae circumdatus, cute et cuticula papillae similiter propemodum amicitur, in qua se oculis conspiciendas exhibent multae glandulae, quae quod pingue quid, sebo non ita dissimile, a sanguine secretum continent, ideo glandulae sebaceae MORGAGNO dictae sunt. Deinde quoque deprehendit in eadem RY SCHIVS perplures nerveas papillulas, sub epidermide sitas et non nihil prominentes, quas loco et tabula adductis pariter dedit depictas.

§. XXI.

Nihil igitur amplius nobis de mammarnm strutura reliquum est, nisi ut breui quoque ostendamus, quibus eae instructae sunt neruis. Nerui autem hi, qui mammis prospiciunt, potissimum ortum suum neruis

D 3

uis

^{e)} Thesaur. anatom. I. Proposit. s. affer. III. No. III. Tab. IV.
Fig. IV. lit. D.

uis dorsalibus, vel, si magis placeret, intercostalibus referunt acceptum, utpote qui, in costarum sulcis ad usque os sterni procedentes, multos ex se ramos ex promunt, per musculos mesopleurios perrumpentes, qui, quemadmodum in exteriora pectoris se efferunt, musculis atque integumentis, eidem foris incumbentibus, de nervis prospicio: ita quoque innumeris furculis in mammae se diffundunt, ubi multifariam fissi, inque ramusculos minutiores explicati, earum glandulis, vasis, ductibus lacteis, papillis, aliisque partibus inferuntur. Omnium commemoratorum nervorum, quos ex intercostalibus nervis discedentes, in mammae disseminari innui, ille Illustri *de HALLER* praecipuus visus est et maxime memorabilis, qui ad quintum costarum interuum intus foras se effert in mammae^{f).} Sed alius insuper satis quoque conspicuus ramus, qui a quinto, et potissimum a sexto paribus nervorum ceruicalium enatus, deorsum, supra anticam thoracis faciem, contendens, multis propaginis se per mammae spargit; qua via etiam musculo pectorali aliisque conterminis partibus ramos impertit sat frequentes^{g).} Nervos vero hos ideo a nobis

^{f)} Comment. cit. not. k. in §. DCLXXXVIII. Thom. BARTHOLINVS Lib. et Cap. adduct.

^{g)} WINSTOVIVS Libr. adduct. *Trait. des nerfs* Tom. III. §. 216, 217. et 220.

bis praemittendos putauit, quo clarius inde eluceret sensus ille, quo mammiae gaudent, exquisitissimus, feminis lactantibus per saepe summe acerbus et molestus, mammis earum graviter affectis. Tandem vel illius hoc loco meminisse expediet, neruos hunc magna societate atque commercio cum nervo intercostali, sympathico magno aliis dicto, coire; quod nervi dorsales cum truncu nervi intercostalis per ramulos coniunguntur. Sed de mammorum fabrica haec tenus.

§. XXII.

Iam in eo est, ut dispiciamus quoque, qua ratione latex lacteus, cum sanguine commixtus, et aliquoties forte iam in motum orbiculum per corporis canales agitatus, in mammis, compedibus eius, glandularum ope, exsolvi soleat, atque ita in libertatem vindicatus, germana lactis indole appareat. Supradictum fuisse latiusque expeditius, chylo, primitus sanguinem ingresso, nec dum cum eo in gyrum iam aliquoties coacto, atque ideo neque dum villis gelatinosis moleculis permisso, lactis nomen ex vero non conuenire, ut quod demum obtinuerit, in mammis a sanguinis connubio sciuntur. Verum enim vero quum mihi deliberatum sit et constitutum, duntaxat explicatum dare, quo pacto latex lacteus sanguinis necessibus in mammis expediatur, nulla habita ratione, neque

que aetatis, neque sexus, neque grauiditatis, nec menstrui mulierum fluxus, vtrum succedat, nec ne? nihil quoque est, quod hoc loco illas causas perscrutemur, quae chylosum sanguinem lactantibus vberius id temporis in mammas deriuare solent. Sanguis ergo chylosus, per arterias mammarias ad mammas deuolutus, in vniuersos, vel minutissimos quosque, diffunditur earum ramos, atque ita quoque in illas, quibus abundant, illabitur glandulas, vtpote quas singulas supra tradidi, ex omni vasorum varietate esse miro operi in globuli formam conuolutas, ex quibus tubuli lateti, exilibus ac tenellulis ramusculis, velut totidem radiculis, orti, sensim deinde in ramos, deinceps conspectiores et lactis capaciores, confluunt, vltimo emissariis suis, nullo certo numero adstrictis, fere in papillam efferentes. Non idcirco dubium est, quin galactophororum radices, e glandulis egerminantes, arctissima societate et commercio cum vasis sanguiferis, in harum glandularum penetralibus coëant, et mutuis osculis iungantur. Id quod iam quoque RYSCIUM coniectura duntaxat esse auguratum, ex superioribus constat. Ipsa quoque ista experimenta, quae itidem supra relata leguntur, omnium oculis id abundantissime testatum faciunt, quibus in aprico est, sanguineis liquidis aquae bene, atque illis variis liquoribus ab

ALBI.

ALBINO, NVCKIO, COWPERO, ductibus lacteis infectis, viam in hos ductus patere.

§. XXIL

Consentaneum ideo est, sanguine, has glandulas subeunte, chylofas moleculas, a sanguinis conformatio secedentes, sese in minutissimos galactophororum vasorum tubulos esse illaturas atque intrusuras; quod a sanguine, a tergo perpetuo ipsis succedente et affluente, impelluntur et adurgentur. Si igitur dicti tubuli nondum satis fuerint aperti et chylosis particulis peruii, sed adhuc nimis angusti et conpiuentes, (cuiusmodi in primiparis matribus, aut puerperis, paucis ante diebus demum partu leuatis, plerumque esse solent,) liquido apparebit, esse futurum, ut dictae lacteae moleculae, quum meatuum lacteorum angustiae ipsis adhuc nimium resistunt, sicque moram atque impedimentum iniiciunt, a tergo impulsae inque progressiuum motum adactae, fibimet ipsae paulatim viam pandant, perque angustias talium meatuum patefaciant; id quod quum sine ullo incommodo peragi nequeat, manifestum inde erit, unde earum mammis subinde tam acerba et grauia mala euenire soleant. Ductibus vero lacteis usque eo dilatatis, ut lacteo lati introitus atque exitus satis expeditus in eos et facilis pateat, lac candidissimum, rite spissum et dulci sa-

E

pore

pore iucundum, e papilla emanare conspicimus, quod antea, meatibus hisce, eiusmodi lacte adhuc imperuiss nec satis patentibus, admodum tenue, aquosum, subsalsum, subamarum, atque sapore insuauit lactentibus haud sane acceptum est.

§. XXIII.

Sanguis vero, lactis connubio, exposita ratione, in mammarum glandulis exsolutus, ex arteriolarum sanguinearum extremis in venulas coniuges, hisce arteriolis mutua inosculatione cohaerentes, evoluitur; vnde se refert in ramos pedentem insigniores, in venarum mammariarum trunco vltimo confluentes, ex quibus in pristinos remanat fontes. Videas itaque, lacteas fistulas arcta societate cum vasis mammariis, tum arteriosis, tum venosis, copulari: quia ibi ab arteriarum finibus surgunt, vbi venae mammariae ab iis oriuntur. Minime igitur mirum cuiquam videri potest, liquidum quodpiam, ductibus galactophoris infusum, indidem in arteriam perinde ac venam redire mammarias. Qua quidem ratione perspectu erit facile, cur et qua via ipsum lac, a sanguine iam secretum et suis lacteis canalibus commissum, indidem recedere, ac liquidis vitalibus per venas mammarias refundi queat, quoad nondum fuerit congelatum, sed liquidam et fluidam

dani suam indolem seruauerit; quantumuis hic lactis regressus haud quaquam sit momentaneus et repentinus, sed potius paulatinus et successiuus, atque triduo vel quatriduo, aut pluribus diebus denique ab infante vberibus ablato, contingat.

§. XXIV.

Quum etiam ex eo, quod de ductuum lacteorum ortu ex glandulis explanatum fuit, constet, eos nimirum tenuiculis atque exilibus inde nasci ramusculis, qui deinde coniuncti in ramos abeunt suis radicibus maiores et conspectiores, quos in cellulas seu sinus quasi media sua parte distentos deprehendimus et dilatatos, a qua distentione ad papillam pergentes denuo angustiores euadunt: liquido inde apparebit, a veritatis via haud aberrare illos, quibus persuasum est, lacteum succum in canalium galactophororum radicibus, quae ultimis sanguineis arteriolis coalitae sunt, longe esse aquosiorum eo ac dilutiorem, qui iam in magis grandiusculis lacteis ductibus, ubi in istiusmodi cellulas expansi sunt, contentus moram trahit, quippe qui, in hisce tardando et commorando, demum omnibus suis numeris et partibus perfectior magisque expletus reddatur, et cunctas veri lactis dotes consequatur, RY SCHII quae est sententia. Nec video, quid obster, quo minus huic sententiae accedam, experien-

tiae vulgaris fide id quotidie comprobante. Quo diutius enim lac in mammis detinetur (dummodo ne iugo longius perseverauerit), hoc magis aqua supervanea, ei interfusa, exhalando perditurum videtur: hinc eiusdem globulos, ita inter se commissos, arctiusque coniunctos seu aggregatos, lac praestantius numerisque omnibus absolutius, quam si particulis abundant aqueis, esse prolaturum, nemini ambiguum erit.

§. XXV.

Plura quidem de lactis secretione restant mihi excutienda, omnino digna, quae latius explicarentur; sed instituti nostri ratio prohibet, quo minus ea omnia heic prosequamur, nos admonendo, ne de illis quoque *morbis*, qui ex secretione hac, vndequaque interturbata, aliquo modo labefactata, identidem suum ducere solent ortum, exponere praetermittamus, quippe quorum, et enodandorum, et intelligendorum gratia, lactis secernendi negotium mihi ante fuit explanandum et dicendis praemittendum, quo liquidius inde postea perspici queat, quanta, quam multa, quamque acerba ex eo subinde damna mulieribus vsu venire consuerint, nisi forte in tempore illis subueniatur. Quum vero haud exiguum eiusmodi malorum turbam, ex lactis secretione, si iacturam fecerit qualemcumque, ortam, deprehendamus, Lectori praeципiendum esse duxi,

duxī, ne existimet, mihi in animo esse morbos ad vnum omnes, quibus vbera mulierum haud insolenter confictari solent, hoc loco deinceps consecutari atque explanatos dare: quia hoc pacto campus scribendi amplissimus mihi foret ingrediendus; sed eos duntaxat, quorum prouentus lactis secretioni, si damnum fecerit aut fuerit praepedita, vni acceptus est referendus. Quid? quod nec hosce quidem morbos cunctos, quorum fons et caput interclusa lactis est secretio, hac diatribe fuscipiam expediendos; verum e numero eorum primarios solummodo ac praecipuos heic quam breuissime declarandos decreui. Id quod ideo putavi a me praemoneri oportere, ne quis plus a me postulet, quam prefixus huic Dissertationi titulus promittit.

§. XXVI.

Iam vero, quum ordine naturae istis omnium, potissime mulierculis, lac in mammis solemniter generare et secernere contingat, vulgari experientia loquente, quae prolem seu partum enixaerunt, (quantumvis quoque exempla feminarum innuptarum, nec virum vñquam expertarum, vt et marium exstant rariora, quibus magna lactis vbertas in mammis fuisse nonnumquam generata, Observatoribus narratur;) clare indidem dilucebit, ista mala, quae vberibus, latetum laticem e sanguinis nexu iuste et legitime expe-

E 3

dire,

dire, ac foras emittere impeditis vel prohibitis, multoties eveniunt, omnium maxime, ne dicam vnicē mulieres partu leuatas, aut nutrices attingere, quippe eiusmodi afflictionibus solas propemodum opportunas. In censem igitur morborum, quibus puerarum mammae, negotio lactis separandi interpellato, vel certe non satis expedite, sed iusto aegrius difficilius que procedente, ut plurimum tertio a partu die tentantur, earum *intumescentia*, insigni *duritie* et *dolorum acerbitate* saepius stipata, omnium praecipue et frequen-
tissime in primiparis referenda est. Cuius non subest alia cauſa, quam quod mammarum sanguinea vasa id temporis vitalibus liquidis vberius affluentiusque inundantur, vtero iam onore suo leuato, liberato, seque contrahente. Vasa autem haec, quum tantae humorum vbertati capienda, multo minus in profluum, eumque satis expeditum motum agitandae, quantum nunc ad mammae affluit et illabitur, sint paria, ea secundum suam diametrum, et in latum maius, praeter modum, distendi, omnino necesse est: Id quod vero, quia vniuersis, vel minutissimis quibusque, per mammarum latebras ac recessus interiores disseminatis, eodem modo obtingat vasorum ramulis, spectatissimum cuius erit, quae sit cauſa, cur vbera eiusmodi feminis intumescant atque extra modum inflentur. Et quo-

quoniam vasa haec ab illa sanguinis inundatione nimium quantum dispansa sunt, manifestum quoque ex eo erit, unde tanta mammis sit durities. Quum quoque praeterea, hoc temporis, ingens fane molecularum chylosarum vis cum sanguine mammis afferatur, pro lactis sequestratione; ipsi vero lactei tubuli nondum pateant, sed adhuc conniveant et occlusi sint, necesse est, eas sibimet ipsas viam aperire et munire in et per dictos lacteos canaliculos, ut qui lacteis globulis, ipsos ingressuris, obsistunt vehementer. Hinc non potest aliter fieri, quam ut lactis globuli, a sanguine succedente vi magna impulsi, inque motum progressuum agitati, similiter perpetuos nixus atque impetus in tubulos lacteos conniventes faciant, his iisdem sensim usque eo diducendis et dilatandis, donec sibi expeditus facilisque in eos pateat introitus et transitus ad papillam. At vero quod hoc pacto tum nimia vasorum sanguiferorum, tum vehementi galactophororum distensione, tunicis viriusque vasorum generis vis maxima infertur, et neruorum surculi, eis intertexti, ultra modum contenduntur: euidentissimum inde cuiusunque autumo esse futurum, cur tam acerbus dolor feminis a lactis prouentu in vberibus infligatur? qui tanto erit acerbior et tristior, quanto angustiores fuerint et arctiores.

§. XXVII.

§. XXVII.

Ne vero credas, galactophoros ductus illico eosque ampliari, ut lac bonae notae receptum transmittant, simul atque sanguis mammae inundauerit. Abunde enim constat, primis, ab excluso foetu, diebus lac tenue, serosum et subsalsum duntaxat ex vberibus exprimi; posteris vero diebus idem iustis dotibus demum indidem emulgeri, quando lactei canales satis patefacti, et lacte recipiendo ac transmittendo fuerint accommodati. Quia quidem ratione vnicuique etiam perspectu facile erit, cur puerperae primis diebus mammae satis diu tumidae ac distentae persistant: lacteis vero his meatibus rite adapertis et vsque eo patentibus, ut lac permeare per eos et nullo negotio transfire queat, rursus detumescant, suam pristinam natuam magnitudinem recuperando.

§. XXVIII.

Neque ullius negotii fore arbitror, ex his de illa paulatina ductuum lacteorum distensione in medium prolatis, cognoscere, quam ob caussam puerpera, mammis lac secernere incipientibus, visitate terio die febri afficiatur, *lactea Medicis dieta*, quae horrore inuidit, aestu ei breui post succedente, nec amplius vi plurimum duodenis horis durat. Febre hac ex oriente lochia semper parcus et minutatim mulieribus

de

de vtero manare obseruantur, mammis eo ipso insigniter increscentibus, velutique in tumorem conspicuae molis surgentibus: ea autem deferuescente et abeunte, lochia iterum per matricis sinum vbertim exundare incipiunt, vberibus contra rursum decrescentibus et magnitudinem pristinae haud adeo multum absimilem recipientibus; argumento vix vlo alio testatiori, lacteum humorem hoc temporis copia largissima vberibus inferri. Quo autem pacto lactis primordia, grauiditatis tempore, maximam partem, ad vterum deferri, et inclusi foetui nutriendo impendi solita, nunc partu edito, copia vberiori mammis per mammarias arterias afferantur? quum hoc latius pateat, quam vt id breui sermone hisque angustis plagulis, pro eo, vt conueniat, complecti valeam, consulto haec missa facio; praesertim quum parum lucis inde istic morbis explicandis et intelligendis, qui mammas subinde obsident, affulget, progressurus ad ipsam hanc febrem paucis expendendam.

§. XXIX.

Febris mihi vero generatim definitur, quod sit citatior naturali et crebrior alternans motus cordis et vasorum, a quacunque caussa, genus neruofsum iusto acrius irritante seu laedente, exortus, cum qualicunque frigoris sensu incipiens, succedente dein calore.

F

Hanc

Hanc definitionem omnibus ita nominatis febribus, humano in corpore haud raro inardefere soliti, competere et accommodari posse, haud temere abnuet curatius perpensurus potissimum, illa omnibus febribus semper communia et inseparabilis nexus coniuncta, eadem comprehendendi. Quocirca febrem puereras intendantem, ita mihi duco definiendam: quod sit crebrior et frequentior cordis et vasorum motus, tertio circiter plerumque die puereras corripiens, cum incipiente algore quantulocunque, et subsequente calore, a partium nervo-vasculosarum graui offensione fuscitatus. Febris quippe haec, *laetitia* quae in Medicorum scholis vocatur, tertia plurimum ab edito foerti lice puereras adoritur, cum frigore, nunc intensiori, nunc remissiori, cui calor itidem modo aerior et vehementior, modo leuior et mitior succedit. Quibus nonnulla insuper alia sese focia adiungunt symptomata, multis aliis febribus pariter pluries familiaria, velut fitis, grauitas quaedam et lassitudo membrorum, capitales dolores, cibi satietas et fastidium, inquietus, vel interruptus somnus, et multa huius sortis alia, heic commemoratu minus necessaria. Ad haec dolores in mammis, subinde satis vehementes et acerbos, persentiscunt, cum earumdem intumescentia insigni et duritate, vix digitis attingentibus cedente. Id vero omnium maxime

maxime commemoratione dignum est, febre hac partu leuatas incessante, ac mammis vsquequaque in manus augescentibus, velutique in tumores saepenumero pergrandes surgentibus, huiusmodi mulieribus numquam non lochia perexigue seu minutatim e matricis sinu emanare; ea vero desaeuiente et abeunte, iisdem rursus redire, multoque vberius et copiosius ex vtero effluere. Febre igitur hac cessante, breui postea, velut horis tribus quatuorue elapsis, iam lactis prouentus in mammis deprehenditur.

§. XXX.

Causam proinde huius febris, mulieribus enim semper solemnis, ex me sciscitaturus, sciat, eam me isti violentae et modum excedenti vasorum, quae mammis de sanguine prospiciunt, inque primis lactiferorum, distentioni attribuere, vt pote quarum tunicae incredibili staminum nerueorum multitudine intextae sunt, quae ita ab inundantium vitalium liquidorum vi et mole vehementius solito ac iusto pressae, contentae, adductae ac lacescitae, totius corporis nervos in similes rapiunt calamitates et cruciatus. Minime igitur mirum est, neruis omnibus in consensum abreptis, toti etiam generi vasorum sanguineorum longe incitatiorem systolen et diastolen arcessi, atque ita eiusmodi feminis febrem concitari, cuius essentia in

-chni

F 2

motu

motu sanguinis in orbem incitationi consistit et frequentiori. Quod vero febris huius lacteae prouentus soli canalium, qua sanguineorum, qua galactophororum, nimiae dilatationi seu distentioni potissimum acceperus sit ferendus, illud manifestissimum ex eo esse potest, quod, ductibus galactophoros usque eo apertis et patefactis, ut succo lacteo transitum concedant ad papillam, febris haec decrescat et omnino remittat.

§. XXXI.

Multoties quoque puerperis, maxime vero foetum primo enixis, ab hoc lactis secernendi negotio plurimae et grauissimae oriri noxae possunt; quia ductum galactophorum amplitudo haud quaquam initio tanta est, quanta requiritur, ut lacteus latex per eos expedite ad papillam transmitti queat. Viae quippe hae lacteae demum paulatim reserantur et usque eo diducuntur, ut lacti transitus atque exitus ex iisdem pateat satis expeditus ac facilis. Hinc lacteum liquidum, in arteriarum extremis a sanguinis connubio separatum, et per tubulos lactiferos, etiamnum nondum satis peruios, peruvolendum, leuissima quoque causa accidente, meatuum lacteorum angustias intercipere valet, ubi subsistendo crassescit et coacescit, sicque lacteis particulis, a tergo succedentibus, introitum in hos ductus praeccludit. Ea quippe est lactis indo-

indoles in animalibus, herbis potissimum et gramine solummodo pastis, ut in loco calido detentum et sibi siveque naturae commissum, breui aciescat, spissescat, inque caseosum concrementum transeat: in iis vero animalibus, qui esu carnium delectantur, atque iis quotidie visitant, minime aciescat, sed sibi relictum, inque loco calido fotum, sponte natura in liquamen quoddam alcalinum, acerrimum et putidum abeat, coagulationis omnino impatiens. Iam vero quum mortaliuum plerisque et carnes, et quae frequentius eorum mensis apponi solent, vegetabilia in cibo sint; haud sane obscure inde elucebit, non multum discriminis lacti animalium herbiuorum intercedere cum humano: ideoque illud, in tubulis lacteis inhaerens, nec profluere poterit, similiter in crassamentum quodpiam acidae naturae, seu caseosum, esse degeneraturum. Id quod vel inde quoque perspicuum est, quod eiusmodi in ductibus lacteis concretum lac pilorum faciem aliquando induisse, et mammarum papillis exiuisse, rei medicae Observatoribus commemoratur, ut qui morbus peculiare ~~τριχιατρεως~~ nomen a medentibus obtinuit. Vetustiores quidem Medici huiusmodi concretiones lacteas, pilorum speciem praeseferentes, pro veris pilis habuerunt, opinantes, eas cum lacte in mammas esse delatas.

§. XXXII.

Qua quidem ratione iam vnicuique facile cognoscere in procliui erit, quid sit causae, cur puerarum mammis, praesertim si primo foetum emiserint, ex ista minus ex sententia procedente lactis secretione haud raro multiuges modi seu *tumores* accidere soleant, qui, nisi mature satis et tempestive discussi fuerint ac resoluti, multis acerbis et perpeſu curatunque difficultimis malis, velut inflammationibus, abscessibus, ulceribus, scirrhis, cetera, viam haud insolenter aperiunt. Deprehendimus enim huiusmodi nodorum seu tumorum, in mammis delitescentium, fontem et caput ipsius lactis esse stagnationem, vt quod in canilibus galactophoris, sive nondum iuste diductis inque papillam hiantibus, sive, etiam si iam satis fuerint reclusi et aperti, denuo tamen, violentis cauſis quibusdam, coarctatis seu coangustatis interceptum veluti que impaetum haeret, vbi lactis pars crassior in caseofum densatur spissamentum, parte eius tenuiore, sive serosa, ab eodem secedente atque e papilla gutratim, quin etiam interdum vberius defluente. In censu vero causarum, quae lacteos canales, iam antea patenfactos et lacti haud sane imperuios, denuo in arctum cogere seu angustiores reddere valent, omnium potissime veniunt annotandae commotiones affectionesque animi,

animi, inque primis terror, ex improuiso ortus; vt et frigus exterritum, improuide mammis exceptum, quippe cuius tanta est in eas potentia ac vis, vt vbera continuo constringantur, simul ac qualemcumque algoris impetum sustinuerint. Hinc igitur non est mirum, lac secretum, tunc in saepius commemoratis lacteis mammarum viis interclusum, consistendo et coendo, eiusmodi nodos seu tubercula proferre: quae, si iisdem non satis opportune fuerit prouisum, lacteo liquido, canalibus suis impacto, ex suis vinculis expediendo, et constrictis eius ductibus quantocytus relaxandis et vsque eo recludendis, vt lati rursum permeabiles evadant; nihil aliud expectari poterit, quam vt in inflammationem transeant. Quiam proinde vt in praesenti itidem carptim breuiterque perstringamus, nobis videtur ex vsu ideo esse, quod nihil est certius, quam eiusmodi tumores sive nodos, persaepe attacitu duros atque etiam subinde asperos, nisi in tempore discutiantur, vt plurimum in inflammationem esse cefuros.

§. XXXIII.

Mammis mulierum, lactis secretione iusto ac grius difficiliusque succedente, vel lacteo succo in lactiferorum alueolis stagnante perque eos perfluere ut cunque impedito, cebrius opinione *inflammationem* succendi,

cendi, initio multoties exiguum arctisque limitibus circumscriptam, breui autem post, nisi praeueniatur, latius se diffundentem et totam mammam subinde incendentem, vsque adeo pluribus experientiae documentis est testatum, ut nulla egeat probatione. Prius vero quam ad eam paucis et quoad id praesentis argumenti ratio expoposcerit, explicandam ingrediar, haud incommodum erit, eamdem ita definitam tradere: quod sit citatior iusto atque auctior sanguinis, in minimis partis cuiusdam arteriolis, motus, ob aliorum eiusdem trunci arteriosi ramulorum nimiam coarctationem vel obstructionem exortus, cum tumore, rubore, calore, vel etiam ardore et dolore semper coniunctus. Videas igitur hac in definitione inflammationis cuncta phaenomena, cum ea semper coniuncta, complecti, velut tumorem, ruborem, ardorem et dolorem. Non quidem nescius sum, BOERHAAVIO multisque aliis eius sectatoribus inflammations, prout sanguiferorum vasorum rami se explicauerint in sensim graciliores et minutiores ramusculos, distingui in sanguineam, deinde serosam, tandemque lymphaticam: at quum mihi hoc loco non sit propositum, inflammationem eiusque species omnes dedita opera persequi; sed tantummodo eam contemplari, quatenus nostro instituto conueniat; breuiter inflammationem dispertire luet

bet in veram et spuriam, vel, si magis fuerit collibatum, in sanguineam et serosam. Illa, quae alias quoque phlegmones nomine cieri soler, rubicundis sanguinis globulis, pauxillo seri dilutis, accepta potissimum est ferenda. Haec vero, quae erysipelas nominatur, magis moleculis liquidi sanguinei serosis et lymphaticis, quibus globuli quidem sanguinei, sed longe pauciores, interfusi haerent, est vindicanda. Sanguinea ergo incensio in omnibus arteriarum minimarum seriebus decrementibus, velut in arteriis sanguiferis, serosis et lymphaticis contingere potest: serosa autem inflammatio seriferis, lymphaticis et aliis exiguioribus accidere solet. Haec ideo de inflammationibus in medium mihi proferenda putaui: quod vberibus puerperarum vtramque inflammationem, scilicet phlegmonem et erysipelas, ex lactis stagnatione, interdum accidere obseruatur.

§. XXXIV.

Quo autem magis liqueat, qua via sanguis, in parte male affecta incensaque, motu cieri et agitari possit rapidiori; et qua ratione eidem tumor, rubor, dolor et calor ab eiusmodi citatiore sanguinis agitatione conflari queat? probe tenendum est, primum non sane ullam fieri umquam posse inflammationem, nisi in ipsis arteriis, iisdemque minimis; deinde has,

G

e com-

e commimi quodam arteriae cuiusdam trunco enatas,
et in vnam eamdemque corporis partem diffusas, in-
ter se arcta propinquitate coniunctas et mutuo com-
mercio esse consociatas, tandem complures earum, ab
vno communī trunco propagatarum, debere ramos
esse vel nimium coangustatos, vel plane occlusos atque
obstructos, ita vt liquidis, per ipsos alias satis expedite
et citatim perfluere solitis, iam vel omnino nulla, vel
certe impeditissima et maxime ardua per eos pateat
via, ceteris eiusdem trunci ramis apertis relictis et
sanguini sat peruiis. Si itaque multi arteriosi rami
suerint vel non quidem clausi et penitus obstructi, sed
tamen ita in arctum coacti et angustiores reddit, vt
sanguinem a corde adactum aditu plane prohibeant,
aut eidem, ipsos percursuro, morant et impedimen-
tum iniiciant, quo minus iam, tam pleno atque expe-
dito flumine, quam antea vigente sanitate, per eosdem
ferri queat: non potest aliter fieri, quam vt hic san-
guinis, per compressos illos atque inde coarctatos, aut
aliunde obstructos canales sanguineos, permeare non
potis, ad alias eiusdem trunci arteriosi propagines,
satis hiantes et peruios, transeat. Quae idcirco nunc,
quum copia sanguinis vberiore, quam pro ipsarum
capacitate inundatae, atque indidem praeter modum
distentae sint, altius atque altius excent inque tumo-
rem

rein conspicuum surgunt. Perspicuum igitur ex eo erit, cur in qualibet inflammatione sanguinea tumor quidam, nunc insignior, nunc minor, obuius sit.

§. XXXV.

Et quia arteriarum, ita maiore sanguinis vi et copia obrutarum, tunicae nimium quantum extenduntur, quibus incredibilis nerueorum staminum multitudo internexa est intertextaque; pariter ex his apparet, quam ob rem omni inflammationi, quae sanguini rubicundo suum debet ortum, semper dolor (qui acerba est ac tristis sensatio, cum magno cessationis eius desiderio, a neruo, nimium et ad rupturam usque distento, menti humanae arcessita,) coniunctus haereat. Quum etiam arteriae laterales, in quas sanguis affluentius irruit, quantumuis patulae sint et permeabiles, tantam tamen sanguinis copiam neque rite capere, neque satis expedite transmittere in venas coniuges, sibi connexas, valeant; necesse est, ut in hisce arteriosis ramis nunc motus celeritate resarciatur, quod eorum capacitati deest. Sanguineus igitur latex dum iam per has arteriolas longe citior, quam florente valetudinis prosperitate, fertur, non possunt non eius globuli se inuicem, ut et vasorum lateribus, iusto et solito validius atterere. Hinc mirum non est, sanguinem hoc pacto ab illo vehementiori attritu incalescere,

et incendium in affecta parte suscitare. Pronum igitur nunc quoque erit perspectu, vnde parti inflammatae calor, quin etiam nec raro ardor, conflari soleat. Nec ullius quoque negotii erit cognoscere, vnde incensae parti tam rutilans color numquam non eveniat. Si perpendamus, corporis vasa sanguinea conspectiora quaeque, quum in corpore perreixerint iter suum, semper in propagines sensim graciliores se explicare, quorum ultimi surculi tandem usque adeo gracilescent, ut non nisi vitalis liquidi globulos singulos in se tantum recipere et transmittere valeant. Iam vero quum non eadem omnium globulorum, quae sanguinis massam constituant, sit magnitudo sive diameter, sed admodum diuersa, ita ut rubicundi globuli serofaciens sint maiores, qui pariter rursum crassiores sphaerulis lymphaticis: nemini quoque, nostra memoria, amplius dubium est, quin ipsa vascula, dictis globulis in se recipiendis et prouoluendis destinata, itidem amplitudine sua plurimum dissident inter se. Quocirca etiam recentioribus medentium in vascula sanguinea, globulis rubicundis potissimum vehendis inservientia; serifera, quae globulos serosos imprimis in se recondant, et lymphatica, quae lymphaticis sphaerulis praecipue complectendis fabricata sunt, distinguuntur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Iam vero quum ex supra prolatis iam constet, sanguinem, si obstructa aut coarctata vasa intrare nequit, tunc abundantius in vasa lateralia ruere, quae non sanguinea solum, sed serosa etiam ac lymphatica sunt; facile erit comprehensu, futurum esse, ut sanguis in laterales vasorum ramos secedens, non sanguiferis modo canaliculis, sed et proxime sibi obuiis tubulis serosis et lymphaticis se inferat. Quae quum ita sint, spectatissimum cuius erit, unde inflammationi nullo non tempore tantus rubor se associet: quia talia vaseula serosa et lymphatica ante, sanitatis tempore, perspicua et pellucida erant; nunc vero rubicundis globulis inundata, similem colorem referunt. Satis iam mihi de inflammatione dixisse videor. Supereft, ut breuiter quoque expendamus, quemadmodum puerperum mammæ huiusmodi inflammatione nonnumquam coripi possint, lactis secretione pluribus molestiis et difficultatibus implicata.

§. XXXVII.

Ex supra adductis constat, tertio plerumque die a partu, mammas maiore sanguinis vi et mole per arterias inundari, quam commode capere valeant pro lactis secretione, quippe quod, in ultimis arteriarum ramis a sanguine separatum, in tubulos lactiferos ad-

G 3

igitur

igitur et perurgetur. Iam vero quum hæ fistulae
tunc temporis adhuc nimium sint coarctatae seu con-
niuentes; non est dubium, quin eae lacti secreto, et
ipsas subire nitenti, summopere renitendo plurima ca-
demque magna obiecturae sint impedimenta, sanguini,
assidue affluent, superanda. Dum itaque sanguis
sua incussione atque impetu in canales galactophoros,
singulis quibusque arteriarum istibus repetito, eos
violenter diducere et dilatare debet, vix aliter fieri pot-
est, quam ut dicti ductus vehementius aequo distenti,
quum nervis, et sibi et sanguiferis vasis communibus,
vstantur, dictis hisce vasis vim magnam, iis utrumque
constringendis et coarctandis, inferant. Quoniam ita-
que hoc pacto sanguinei aluei per nervorum ramulos,
eorum tunicis implexos, iamque vehementius, quam
par aequumque est, tensos et adductos, in arctius, quan-
tulumcunque est, spatum compelluntur, clare inde
liquebit, quam expedite et facile sanguineis liquidis in
angustiis meatuum sanguineorum via rescindi queat
et pessulus obdi, quo minus per constrictos vasorum
canaliculos permeare et transire valeat, sed, accedente
leuissima quaque causa, in iis inhaerescere cogatur.
Quo facto ipsa inflammatio in mammis praesto erit.
Adhaec probe etiam tenendum est, ipsum lac seques-
tratum itidem in causa esse, cur mammis incendium

exar-

exardefeat. Tametsi enim viae lactiferae iam fuerint aliquantum reclusae et lacteo liquido perniae, nondum tamen eidem fatis patefactae et ita apertae sunt, vt promte expediteque per eas permanare posset; vnde, leuicula duntaxat externa caufa superueniente, moram in iis trahit, quid? quod plane subsiftit, atque eisdem praeter modum expandendis, vasis sanguiferis, proxime sibi assidentibus aut circumiectis, compri- mendo et coangustando, vim affert. Id quod etiam liquido apparebit consideraturo ductuum galactophororum fabricam, vtpote qui, tenerrimis surculis orti, in media sui parte in sinulos quasi conspectiores ampliantur, vnde ad papillam pergentes denuo in angustum coarctantur. Quae quum ita sint, liquido cerni poterit, lacti, hos ductus intrare vi coacto, non esse ullum alium locum commorandi et resistendi, vel si maius, consistendi, magis commodum, quam hasse lactiferorum canalium latebras, in medio eorum obuias, ubi impactum et fixum, reliquo lacti, conti- nenter retro succedenti, obicem ponit.

§. XXXVIII.

Nec dissimulandum est, lac ipsum utique plurimum inflammationibus eiusmodi conflandis subinde conferre, quippe cuius id est ingenii, vt in ductibus lacteis retardatum, aut omnino interclusum, spissitu- dinem

dinem contrahat: nec insolenter in concrementum quoddam caseosum solidescat, quod deinde in horas plus in eis cumulatum magisque mora condensatum, commemoratorum ductuum latera dispendit. Quo fit, ut non adiacentia solum ceteraque propinqua et finitima vasa comprimantur inque angustum coarctentur; sed neruea quoque fila impensius contendantur. Quae quum vasorum sanguineorum tunicis perinde, ac lactiferorum, copiosissime innexa sint: vel ex eo perspicuum erit, qui, tubulis hisce, lacte extra modum refertis dilatatisque, ac propterea nerueis staminibus, quae utrisque canalibus intexta sunt, ab ista dilatatione immoderatus intentis, vberibus feminarum inflammations accendi et suscitari possint. Iam vero quum tanta sit causarum, quae morbo cuidam proferendo inferuiunt, series, ut alia ex alia annexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur; quisque facile perspiciet, praeter hasce caussas, quae, ut Medentes loqui amant, proximiores tantum sunt, complures insuper alias deprehendi remotiores, quae illas ad agendum incitant, velut repentini impetus et commotiones animi, frigus mammis exceptum, aliaque id genus plura, quae mammis extrinsecus adhibita, eas subito constringere, atque ita inflammare valeant. At vero quum minime constituerim vniuersas, quae huic in-

censioni

censioni velificant, caussas deinceps enumerare, eas heic consulto facio missas, ne aggeramus, quae alii iam latius sunt prosequuti.

§. XXXIX.

Quis proinde est, quin, ex hisce breuiter enarratis, cognoscat fore, vt duictibus galactophoris in tempore, et antequam lac in caseofam duritatem crassescat, reclusis et vsque eo rursus ampliatis, vt illud, suis vinculis exsolutum, per eos libere permeare et ad papillam peruenire valeat; ista sanguinea mammarum inflammatio, vberibus ab eius stagnatione exorta, breui sua sponte, cum vniuersis, quibus stipata est, symptomatibus discedat. Idque quidem non vlla sane alia caussa, quam quod, laxatis iam et iuste patefactis illis duictibus, neruorum tensio quoque et canalium sanguiferorum coarctatio, ab hac distentione neruorum profecta, iam omnino effat. Quocirca quum sanguini iam via satis patula et peruvia, hac ratione, rursum data sit, nihil profecto quoque ei obstat, quo minus suas fibi quondam solitas vias relegat, ex arteriis in venas coniuges redeundo, et ita ad fontem, vnde emanavit, refluendo. Qua quidem ratione cuicunque facile parescit, quomodo inflammatio, vberibus subinde in puerperis vsu eueniens, resolui soleat, nullo incommmodo vel detrimento eam insequente.

H

§. XL.

§. XL.

Perfpecto itaque, quemadmodum inflammatio
mammarum resolutione abeat; non ab re nec ab in-
stituto alienum erit, paucis quoque expedire, qua via,
resolutione eius ad irritum cadente, illa identidem in
suppurationem contendat. Ne vero inexplicatum re-
linquam, quod hoc nomine mihi denotetur, suppura-
tionem siue abscessum ita definitum tradam: Quod sit
ea inflammationis mutatio, qua, resolutione eius incas-
sum cadente, sanguinei latices, in vasorum recessibus
interclusi, claustris, quibus continebantur, disrupti,
ex iis minitatum in commixte quoddam compluuium
effluunt, ubi detenti ac naturae suae relieti, subsistendo
sensim pedentisque, intestina sua agitatione et motu,
a pristica sua indole degenerant, ipsasque partes soli-
das, sibi vicinas seu conterminas, paulatim correptas,
emolliendo, macerando, colliquefaciendo, destruendo
et depascendo, corruptum inque liquamen quoddam
conuertunt, quod cum ipsis confusum et commixtum,
illud liquidum spissum, album et odoris expers, pro-
fert, puris nomine cieri solitum. Iam vero quum
huic puri, primum generari incepto, inque loco cali-
do haerenti ac foto, in horas continenter maior fiat
accessio a partibus solidis ipsis propinquis et finitimis,
intestino motu; quo assidue cietur, itidem compre-
hensis,

hensis, emollitis, maceratis, colliquefactis, destruetis, inque similem corruptionem abreptis: fieri non potest, quin spissamentum hoc seu *σάγμα*, in unum locum collectum, sensim sensimque superstratam sibi cutim veram in altum tollat, siveque in tumorem, nunc conspectiorem ingentioremque, nunc minorem et depresiorem, pro eo ut plus minusue puris subtus fuerit conclusum, surgat, abscessus sive apostematis nomine chirurgico in foro venientem. Ex hisce proinde liquido apparet, inflammatione, in suppurationem cedente, non modo humores, vasis impacteros haerentes, ex iis diruptis delabi, sensimque in eo loco, quem occupauerint, congeri: sed ibidem loci consistendo, citiori motu intestino agitatos, ipsas solidas quascunque partes, sibi proxime circumiectas et contiguas, arripare, et eas permacerando, liquando, demolliendo et funditus cuertendo, similiter, atque ipsa vasa obstructa, in liquidum purulentum mutare.

§. XLI.

Si itaque puerarum vberibus a lacte, in latiferis ductibus intercepto fixoque et coagulato, inflammatione infligitur, cuius aequa, atque omnium certarum inflammationum, sedes in minimis est sanguiferis arteriis, haud quaquam vero in ductibus galactophoros, quae resolui non potest, sed in suppuratione

nem definit: nullum est dubium, quin sanguinis globuli, qui arteriarum angustiis immoti inhaerebant, ex hisce canaliculis, extra modum dispansis, ideoque dehiscentibus, sint effluxuri atque in proxime sibi obvia interstitia illapsuri, vbi paulatim plus plusque cumulati et blando calore foti, minime desides haerent, omnique actione cessabunt; sed motu potius incitatori intestino agitati, violentos impetus in partes, sibi finitimas, et ductus galactophoros, lacte concreto obstructos, facient, iis adorriendis, deprauandis, funditus peruerterendis, leuiter putrefaciendis, inque unum similem album, spissum, pinguem humorem, pus dictum, conuertendis, eodem modo, ac iam supra de inflammationis exitu suppuratorio relatum legitur. Hinc quoque est, cur in omnibus corporis partibus carnosis et pinguis abscedentibus semper deprehendamus, eas a pure nonnumquam valde esse excavatas, nisi forte Medici vulnerarii eiusmodi abscessus tempestive curauerint scalpello incidendos, ut pure exinaniantur. Nec possent umquam a suppuratione partibus corporis tanta caua, quanta subinde animaduertere licet, fieri, nisi ipsae solidae partes ab inclusu pure dirutae seu destruetae forent, quae deinde fluidis admixtae, ipsum illud pus demum dignunt. Tandem quoque expediet vel huius meminisse, Chirurgis solempne

solemne esse, abscessus seu apostemata ab ulceribus discernere. Abscessus enim illis iste tumor, ex practia inflammatione oriundus, dicitur, qui suis integumentis extrinsecus adhuc contextus est et conclusus: vclus vero succedit denique abscessui, estque solutio continuatatis in corporis partibus mollioribus, quod neque sanguinem, neque pus intemeratum et bonum, sed humorem degenerem et depravatum foras profert. Si denique eiusmodi vclus multis cuniculis subtus fuerit excavatum, nomen vleeris sinuosi obtinet: si vero vleeris huiusmodi introitus iam occalluerit, vclus fistulosum usurpari solet. Sed satis mihi de illo inflammationis eventu, suppurationi qui vocatur, heic dixisse videor: longior enim in suppurationis negotio expediendo essem, quam deliberatum mihi est et constitutum, cuncta, quae in eam dici possunt et merentur, hoc loco consecuturus. Placer igitur breuiter quoque contemplari, quemadmodum inflammatione aliquando in gangraenam migrare soleat.

§. XLII.

Si ergo sanguinea incensio neutra via, neque resolutione, neque suppuratione discedit, eam tertius manet exitus, gangraena dictus; quam hoc loco itidem leuiter duntaxat tangi, non alienum erit. Vocabatur autem gangraena ea inflammationis mutatio, qua

H 3

sanguine

sanguinis, in parte inflammata, per vascula sanguifera circuitus, maximam partem est extinctus, plurimis horum canalium (qui, durante sola phlegmone, tum integri adhuc et liquidis vitalibus vtcunque peruii, tum quoque nondum ita sanguine inundati erant et obruti,) nunc perruptis, diffraictis, destructis, vel certe artius occlusis obstructis, ac sanguini vehendo et transmittendo plane ineptis redditis, cum incipiente liquidorum, ex ipsis, tum effusorum, tum in iisdem adhuc interclusorum et subsistentium, putrida corruptione, doloris, ruboris, tumoris subsidentia, et ardoris in affecto loco remissione insigni coniuncta. Nimirum foret longum, de omnibus, quae efficere valent, vt inflammatio subinde in gangraenam transeat, hoc loco dicere. Cui quippe clare perspectum est et cognitum, quo paecto, et qua celeritate, sanguis in qualibet inflammatione, per arteriarum obstructarum ramos laterales, sanguini quidem, eos percurrenti, etiamnum patentes, sed nimirum iam inundatos, atque ideo mirum in modum distentos, transeat, is nullo fane negotio deprehendet caussam, habita insimul ratione ipsius indolis, quae liquidis est vitalibus, et conditionis ipsius partis affectae, multorumque aliorum, heic deinceps recenseri haud necessariorum, cur inflammations non semper resolutione et suppuratione, sed haud insolenter

ter quoque gangraena, cuius est facilimus in sphacelum transitus, nisi huic satis opportune fuerit praeuisionum, terminetur. Attamen ne silentio praeterituri videamur, quae inflammationem in gangraenam esse abituram, praesignificant, vel vtique praenunciant, sciatur, quemadmodum, ea suppurare incipiente, cuncta nexus indissolubili inflammationi copulata, velut tumor, rubor, dolor et calor, numquam non ingraueant inque maius augeant; tumore in maiorem altitudinem sensim ex crescente, magis rubescente, acrius dolente et vehementius in ardescente: ita e contrario, inflammatione in gangraenam cessura, rubor, dolor et ardor a sua vehementia plurimum remittunt; idque non alia vlla caussa, quam quod vasa, sanguine ante inundata et obstructa, cum nervis, vehementius iustitensis, iam rupta et destructa sunt; vnde serum quoque, ex iis effusum, cuticulam fibi incumbentem in pustulas eleuat, ex quibus incisis flatucente colore tinctum effluit. Tumor ipse, antea durus ac renitens, iam adeo mollis spectatur, vt digitis pressus, eorum vestigia relinquat. Ipsa cutis pallida est, nec raro liuidum colorem refert. Ad ultimum, nisi forte huic malo praeueniatur, gangraena in sphacelum tendit.

§. XLIII.



§. XLIII.

Est vero sphacelus, gangraenae e vestigio succedens, ista inflammationis mutatio, qua omnis liquidorum vitalium in parte morbosa circuitus per vasa omnino tollitur, cum subsequente humorum subsistentium putrefactione foetidissima, et demortuae partis vastatione. Ex quibus proinde perspicuum erit, sanguinis in orbem per vasa, quantumuis longe pauciora, quam in inflammatione qua tali, motum in gangraena esse superstitem: in sphacelo contra eius progressuum per vasa motum penitus extinctum esse et prorsus sublatum. Hinc quoque est, cur partes corporis, sphacelo correptae, iustissima ratione esse dicuntur mortuae. Nec fieri potest, ut in partis sphacelo affectae et destruetae vasis umquam sanguinis motus profluius restitui queat, qui tamen in gangraena, si in tempore succurriritur malo, utique integrari et reuocari potest.

§. XLIV.

Haud quoque rarum est atque insolitum, inflammationem, blandae resolutionis, aut suppuracionis spe ad irritum cadente nosque fallente, in scirrum degenerare, omnium maxime, si in quadam corporis parte, multis glandulis confita, cuiusmodi mulierum mammae sunt, suam sibi sedem fixerit;

quan-

quantumuis nec aliae corporis partes, glandulis carentes, vt testes, matrix, cetera, hac calamitate excmtae obscurentur et immunes. Exploratissimae tamen veritatis est, alias non facile cuiquam corporis parti scirrhos accidere frequentiores, quam yberibus. Est autem scirrhus tumör praeter naturam durus ac renitens, concolor, indolens et inflammatione incomitatus, glandulis, partibusque vtplurimum glandulosis insidens, oriundus a materia quadam in interioribus vasorum recessibus, vel glandularum folliculo, conereta, exsiccata, indurata, ac veluti solidata haerente et fixa. Quae quam diu fixa, immota atque illacessita vasorum recessibus impacta est, scirrhi nomine cieri solet: vbi primum vero, lacesita yndecunque et motu agitata interiori, fuerit suscitata atque exasperata, tum virus acerbitas ac saeuitiae suae expromit in partes solidas, quae ipsam complexu suo coërcent et continent, eis arrodendis, corrodendis, lacerandis, discindendis, deglubendis atque ita exulcerandis, vt inde vlcus fiat, quo non facile yllum aliud deterius reperitur; quod idcirco, quum alte lateque in dies serpat, se in contiguas sibi et finitimas partes fundendo, easdemque itidem depascendo ac deuastando, cancer apertus usurpari consuevit.

§. XLV.

Materialis ergo eiusmodi scirrhorum caussa sunt humores, tum sanguinei, tum lactei, suisquaque in vasis interclusi, si aquosis seu liquidis eortim exhalatis ac dissipatis, crassiora et terrestria in vasorum alveis remanent, et arctius inter se coniuncta, compinguntur, solidescunt, cumque ipsis vasis, intra quorum alteolos cohibentur et continentur, concrescunt. Lac vero animale ex omnibus humoribus ad coagulationem prouissimum esse atque expeditissimum, vulgaris est experientiae. Quod si enim illud in loco modo repidiori immotum fuerit paulum detentum, sponte natura acescens concrescit. Verum enim ipsum coccineum sanguinem, inque primis eius serum aliabile et lympham, pariter ad coendum esse perquam proclivia; quid? quod, serum et lympham, vel solius caloris vi, in tenacissimum quoddam spissamentum cogi ad densari, tam peruulgatum est, quam quod peruulgatissimum, ut nihil attineat, hanc veritatem experimentorum fide hic testatum facere. Quocirea exputare non possum, cur complures Medentium, in eiusmodi scirrhis mammarum generandis, soli lacti vitio et culpae illud dare non vereantur, quod tamen pari iure aliis quoque gelatinosis vitalibus liquidis identidem assignari queat. Solent vero eiusmodi σκιρρωματα in Chirurgorum

urgorum scholis in benigna discerni et maligna. Benignus dici eiusmodi scirrhus tamdiu consueuit, quamdiu quietus, vixque ullis acerbis malis stipatus, in suis pelliculis occultatus latet; unde quoque homines, eo affecti, illum per multos annos gestare et vitam viuere satis diurnam, sine ullo propemodum sanitatis suae dispendio, sine noxa, possunt, dummodo sibi ab omnibus iis temperauerint, quae illum laceſſere atque incitare et mouere valeant: malignus vero nominari solet, si vasa, quae eius marginem alluunt et praeterlabantur, inflammatione ita exardescunt, ut, perruptis, quibus intregebatur, pelliculis, viginem sive saniem acerrimam, foetidissimam et vehementissime rodentem, exſudent, quae proxime circumiectas sanas partes adoriendo, arrodendo, exedendo, depascendo et absumento deuastat, et aegrotorum cruciatibus conficit acerbissimis atque intolerabilibus. Et hic scirrhus ita exulceratus nomine visitiori ac tritiori cancer, seu carcinoma cieri solet. Quamuis nonnulli Chirurgorum etiam discrimen faciant inter scirrum occultum et apertum seu exulceratum, scirrum occultum nominando, qui suis integumentis adhuc contentus est, apertum seu exulceratum, qui integumentis istis, vlcere ruptis, non aspectu modo teterrimus et horribilis, sed et commemoratis symptomatibus semper comitatus est atrocissimis.

§. XLVI.

Iam in eo esset, vt quoque ostenderemus, quo pacto mala haec truculentissima, mulierum vberibus omnium frequentissima et familiaria, partu leuatis subinde nascantur, a quibus caussis natales ducant suos, quibusque symptomatibus comitata mortalibus ineant, procedant atque exeant, et qua tandem via iisdem subuenire Medico integrum sit. At vero, quum ex iis, quae supra de inflammatione generatim exposita habentur, horum omnium facilis sit explicatio atque intellectus; nec mihi constitutum fuerit, vniuersa vel minima quaque mala, quae mammis puerarum accidere nonnumquam solent, hoc loco cōfessari; (quia alias mihi non Dissertation, sed haud mediocris magnitudinis liber excudendus, cuncta, quae in hanc rem dici possent, persequuturo;) sed potiores tantum et praecipuos illos morbos, qui lactis secretio ni, aegrius ac difficilius succedenti, originem debent suam, quanta maxima breuitate id fieri posset, percur rere, et, quoad commoda Dissertationis magnitudo permitteret, paucis quidem, sed nostro tamen scopo suf ficientibus, expedire: neminem mihi vitio versurum mihi persuadeo, si reliquas morbos afflictiones, quarum prouentus in mammis haud quaquam lactis sequestra tioni, sed aliis caussis acceptus est referendus, de in dustria et consulto heic praetermittam, atque ex hoc latissime patente differendi campo me recipiam, Lecto rem duntaxat humanissime rogando, vt hoc, quidquid litterarum est, aequi bonique consulat, et me metipsum suo fauori habeat permisum et traditum.

T A N T V M .

IV.IX

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

ADAM. GVLIELM. FRANZEN.

Philos. et Eloqu. Prof. Ord.

Magnam et ingenii et animi TVI exspectationem, Vir Nobilissime, prima TECum consuetudine statim mihi concitata fuisse, iam Lipsia, memini, duobus fere abhinc annis, ad TE me pluribus, neque sine voluptatis sensu, prescribere. Quam cum adhuc ita sustinueris tuitusque sis, ut aequa bonis TE probares omnibus: de TVA existimatione saepius habui, quod valde gauderem. Sed maiorem etiam TECum gaudendi causam temporis TVI deinceps felix decursus ad hunc mihi diem referuabat. Esi hanc quidem animo praeuidebas: tamen, tum exspectata, nunc, cum fese dat, nihilo minus incunda suis tamquam ex seminibus existit. Quibus enim honoribus dignum TE praefuisse, eorum facta hodie ad laudes TVAS accessio cum honestissimam praeteriti temporis commendationem, tum futuri sponzionem habet, ad felicissimos successus insignem. Itaque laetitia TVAE particeps, eosdem ita TIBI gratulator, ut ad multiplicem perpetuamque prosperitatem hunc TIBI datum, TVO reique publicae bono, patefactum esse yelim. TV vero, quod TE facturum esse confido, amare me pergas, rogo. Vale. Dab. Halae Magdeburg. xvi. Calend. Nouembris. cccclxxiv.

DOCTISSIMO DOMINO AVCTORI

CVIVS

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS

S. D. P.
FRID. WILH. ELLENBERGER
DE ZINNENDORF.

Congratulandi hac solenni die mira omnino mihi datur opportuni-
tas. Feruentissimus animi mei affectus, bene enim me nosti,
futura votis parare studet sincerissimis; at tum denum ad edendum
pectoris desiderium prægere licet, si præterita prius collegero; il-
lud enim his superstruitur. Meam sane incusare soleo fortunam,
quae me diu multumque a TVIS iucundissimis sermonibus et dulcissi-
mis amplexibus detinuit. Non in praefentia attendam dona natu-
rae, benigna manu largiter TIBI concessa, sed animi, quem manife-
stas, candorem, et eruditio acquisitæ præstantissimum thesaurum
prædico. Iterum ascendis cathedram academicam, denuo erudi-
tionem TVAM, publice saepius vel a me celebratam, ostendis et oris
suauitate delectas. TVO profecto, AMICISSIME FRITZE, exem-
pli concludere licet, quam eximium sit rei medicae, philosophiae,
elegantiorum literarum et, quod omnium primo dicendum foret,
virtutum et amici in omnes bonos, quos pro TVIS habuisti, animi
contubernium. Sed mittam plurima, quibus adhuc abundo. De me
optime mereberis, si me plane TVVM habueris et, quae TIBI ac-
cidunt, mihi facta reputaveris. Vale, mihiique fave. Scribebam Ha-
iae, die Iduum Octobris MDCCLXIII.

DO-

DOCTISSIMO DIGNISSIMO QVE DOMINO
CANDIDATO

S. P. D.

D. IOANNES CHRISTOPHILVS
KEMME.

Permitte, AESTVMATISSIME AMICE, vt gratulantium TIBI vocibus meas etiam, tenues quanuis, innitceam: fine, vt amicitia, vt viuida meritorum TVORVM consideratio innius TIBI offerant, quod vtrinsque candor non laudare, sed exprimere videtur. Quid vero eloquar? quid in tanta rerum dicendarum copia afferam? An ideo forsitan calamus suscepit, vt iuuenem in TE ostendam, qui sublimiorem eruditioinem elegantiorum litterarum cultura temperavit ita, vt in vtraque cogitandi ratione magnus facile quidem, in quanam vero maior, difficile dici queat? Sed ista nota iam sunt. Nun ergo eam ob caussam, vt diligentiam TVAM in addiscendis scientiis, aut vt publica illa TVAE eruditiois, quae me etiam teste et admiratore edidisti, testimonia celebrem? Verum non indigent haec mea laude, dum nouo, quod solum TE Autorem agnoscit, corroborantur specimine. Concedant itaque Lechuri, TV enim, AESTVMATISSIME FRITZE, non concedes, sed flagitabis, vt, magis ad amicum, quam ad frigidorem eruditiois laudatorem natus, teneras tantum amicitiae voces sequar, atque tale TIBI stabiliam monumentum, quod TIBI amor erga TE mens gaudiumque, ex die, TIBI festino, ad me redundans, excitandum esse iudicant. Elegantissimi TVI, PRAESTANTISSIME FRITZE, mores, amicus TVVS ad summa quaevus adspirans, vitaque tanto horrore reformidans, quanto ardore virtutis fauet, in TVI me rapuerunt amorem et fundamentum amicitiae praebuerunt, quae, si quae humanitati data est futura praeuidendi facultas, inconcussa manebit. Ea ipsa factum est, vt non indignum me indicaueris, cuius moderatione ante aliquot annos cathedralm adscenderes, me testem potius TVAE, magis deinceps adhuc auctae, eruditiois habens, quam adiutorem. Alter TIBI iam adest, sed sollempnior, dies! Eluceat TIBI, mi AMICE, felix! Vtere nouis istis, TIBI conferendis, honoribus, de quibus TIBI vere grauior, in felicitatem generis humaci, quod amas! Vitae diu et vite mei memor! Vale. Dab. in Regia Frideric. d. XIV. Octobr. MDCCLXIV.

DO-



Sei mir ein Fest, o Tag! sei meinem Wunsch geweihet,
O Tag, der meinem Freund erworbne Lorbeern reicht,
Und kränzend um die Schläfe beugt,
Tag, der mit sanfter Lust mein zärtlich Herz erfreuet.

Die klopste längst voll Lust mein fühlbar Herz entgegen,
Längst heischte Sein Verdienst ruhmvolle Palmen schon,
Fest ärmet Er den würdgen Lohn,
Mein ewig zärtlich Herz muss sich zu wünschen regen.
Jedoch Dich lohnt Dein Fleiß, Dein rühmlich weises Wissen,
Nüsst wol mein Wünschen Dir zum glücklichen Geschick?
Dein göttlich Herz ist Dir Dein Glück,
Ein Quell, aus welchem Dir stets reine Freuden fließen.

Allein mein redlich Herz, erfüllt mit regen Trieben,
Bringe gerne feuervoll Dir treue Wünsche dar,
Dir, der der Musen Zierde war,
Dir wünschen alle so, die Deine Seele lieben.

Sei, Freund, ein Liebling stets des Glückes, wie der Musen,
Sei stets mit Heil umfränzt, es folg ein froher Tag
Dem andern frohen Tage nach,
Nie weiche Frölichkeit aus Deinem muntern Busen!

Auf! geh mit Ruhm geschmückt, dem Waterland zum Seegen,
Sei vielen Rath und Schuh, sei Parthenopens Ruhm;
Doch laß Dein Herz, mein Heilighum,
Auch ewig mir zum Glück die Freundschaftstreibe hegen.

Halle im Magdeb.
am 1sten des Weinmonates
1764
G. H. Nocholl,
der Arzneigelahrheit Doctor, und Fürstlich:
Hessischer Hofrath.
VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

B. H. DRYANDER

Iur. Pract.

Incertum habeo, vtrum ea, quae TE ornant, virtutum decora, an vero TVOS in arte salutari enixo studio TIBI quachitos profectus his litteris enarrare? Vtrumque certe iucundissimum mihi fore laborem credo: Sed, quum publico, quod edidisti, specimine, quantum in arte TVA profeceris, bene optimeque probaueris, meo hinc sane suffragio nunc non indiges. De TVA igitur virtute morumque suauitatis mihi sola superest differendi facultas. Sed quid et de his dicam? Vbiique enim, quo video, optima iam existat viridisque TVI memoria. TE otio nunquam dedisti aut nigris inanibus, et rationes ita semper composuisti, vt in dies TE multo ornatiorem atque uberiorem exhiberes. Amicum TE praesitisti semper optimum, neque, TVOSQUE reliquos, in exercendis, quae ornant amicum officiis, superare maximam TIBI dedisti operam. Sed fatis de laudibus illis, quas TIBI in orbe eruditorum, inter TVOS amicos, et proceres huius vobis, qua optima Nominis Tui fama perpetuo ruat, conciliasti; nunc etiam pauca adhuc, quae amicitiae TVAE debo, adiicere volo. TIBI his litteris gratias perfoluo quam maximas, pro omni quod exhibuisti mihi grato, et quum non vulgaris et academii saepe propria consuetudo, sed aliud, quod veneramus, nos iuxerit arctissimo nexu, hinc eius, et quo nostra amicitia tendat, vt semper sis memor, TE maxime rogo. Gratulor denique TIBI ex animo honores bene promeritos, die hoc festo TIBI conferendos; gratulor reipublicae ciuem praelarum, parentibus vero TVIS Filium tam dignum familia sua; gratulor aegrotantibus Medicum prudentissimum, Deum precatus, vt omnia TIBI cedant fausta fortunataque. Vale. Dab. die XIII Oct. MDCCCLXIV.

OAN

K

DO-



**VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE HONORATISSIMO
CANDIDATO DIGNISSIMO**

S. P. D.

IO. FRIDER. GOLDHAGEN

M. C.

Onni virtutum genere, sive ingenii vires singulariæmque in his excoledis industriis, sive morum elegantiam spectem, ita excellere studiisti, vt non possum non de noua felicitatis TVAE acessione admodum laetari: præsertim cum ex meritis magis, quam ex consuetudine TIBI haec decreta esse videatur. Profecto autem is gaudii cumulus mirifice augetur, dum vitae officiorumque inter nos coniunctionem animo mecum versor, TVAMque cogito benevolentiam. Atque etiam publice TE, velut summiæ integratæ ac innocentiae amicum praedicare, cum grati animi esse duco, tum eius, quem veritati debo, amoris. Quapropter nosos TIBI homores magna animi contentione gratulor, atque vt illi virtutibus TVIS eundem splendorem tribuant, quo ab his ornari videntur. Nuncupo iam ardentissima pro TVA salute vota, vt NVMEN, quod adoramus, SVPREMVM, res TIBI omnes prospere eueniæ et perpetua TE felicitate floreare iubeat. TIBI autem, CARISSIME FRITZI, persuadeas velim, quaecunque mihi fors obtigerit, me futurum esse fortunatissimum, dummodo de TVA felicitate, TWO que in me amore non habeam, quod dubitem. **Dabam in Frideriana, pridie Idūm Octobr. MDCCLXIV,**

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

OTTO FRIDERICVS SPROEGEL

Non consuetudine, sed ex amicitia, has *TIBI*, Vir Praenobilissime, mitto litteras. Festus is dies, quo Doctoris in medicina honores *TIBI* tribuantur, et mea quam maxime referunt, qui amici officium, ex quo *TU*cum mihi vius intercedit, lubentissime suscepit. Utinam tali fortuna per longius temporis frui potuisse spatum ! Adsum diversa et praestantissima *TU* erga me fauoris testimonia, quibus vius sum tamquam non exiguis inter nos amoris locupletissimisque signis. Sed minime requiritur, ut haec omnia referam ; supervacaneum est, cum quod mihi demandatum est Opponentis munus, *TVAE* erga me benevolentiae optimam prae se ferat rationem. *TIBI* igitur, quantum fieri potest, gratulor doctoralem dignitatem, brevi nunc merito et omni jure accipiendo. Nemo melior illam ambire potest, illam suscipere, qui plurimum in addiscenda salutari arte operae contulisti diu noctuque. Secundet nunc Deus omnia *TVA*, quae aggredieris, conamina quam felicissime, prosperet negotia, fortunet *TVAM* in posterum vitam. Viuas bene semperque beate, floreas ex sententia *TVA* felicite ! Non est quod dubitem, quin mihi quoque in posterum faueas atque absentem ames amicum. Vale, iterumque vale ! Dedi Halae die xiii Octobris MDCCLXIV.



Tu prodis, DILECTE, graui stipante ceterua,
Murmure quae plausus jungere laeta jubet.
Praemia cum meritis TE exspectant lindibus : alma
Accipe Musarum munera, sacra TIBI.
Quanta TIBI festae sunt gaudia pulchra diei,

Tanta per aetatis tempora semper eant.

Sis felix, FRITZI, nec TE sola viva vitae

Linquat : o fareas ! OPTIME, jamque vale.

His verbis

Amico suo aestimatissimo gaudium et
congratulationem voluit testari

I. C. RÜHLMANN.



Sungst floss im leichten Gewande aus purpurnen Wolken Hygea.
Sie wirkte, — und jeder leichte sein Ohr. —
Jetzt flecht ich, sprach sie, Lorbeer der Ehre dem besten der Söhne, —
Kommt windet sie, Freunde, bringt Tränke herzu. —
Schon eilten die dankenden Lehrer mit längst gewundenen Tränzen,
Und baten, gib sie, o Göttin, dem Freund.
Den Thron der lohnenden Göttin umgaben Scharen von Freunden,
Sie eilten — um jeder ihn winden zu sehn.
Sie wand, — und erönnte den Liebling, sie jauchzte die lächelnde
Göttin;
Es jauchzten die Lehrer, — Die Freunde, — und ich. —

W. G. Bangerow,

aus Pommern, B. N. B.

der Gesellschaft der schönen Künste und Wissenschaften
zu Greifswalde ordentliches Mitglied.



Diss. med. Hal.

g. 1763/64.

ULB Halle
005 379 296

3







GVRALIS MEDICA

LE LACTIS
PRAECIPVIS AB
ENDENTIBVS
BIS,

M
VINI NVMINIS
T CONSENSV
ORVM ORDINIS
S I D E
IMO ET EXPERIENTISSIMO

A BVCHNERO

PERII NOBILI,
IS CONSILIARIO INTIMO,
LIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
ORVM ALVMNORVM EPHORO,
R. CVRIOSORVM PRAESIDE,
ANGLICAN. MONSPELIENS.
SODALI,

DOCTORIS

NORIBVS AC PRIVILEGIIS
LEGITIME CONSEQUENDIS
c. clo cI CCLXIV.

FENDET

R
LIEB FRITZE
ENSIS.

BVRGICAE,
TRAMPIANA.

28